



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Difficultas I. Quid distinctione Virtualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DIFFICULTAS I.

*Quid Distinctio virtualis.***P**RÆMITTO I. *Quis fuerit ortus & occasio adstruende Distinctionis virtualis.*

Docet fides naturam divinam communicari, paternitatem identificatam realiter naturæ divinæ non communicari. Reflexit sese intellectus humanus, quod hæc contradictoria communicatur non communicatur non possint de uno verificari; aliàs Mysterium Trinitatis implicaret, utpote involvens verificationem duorum contradictoriorum, & quia hoc de quo verificatur communicatur, non communicatur, non potest esse distinctum realiter, nam Natura Divina & Paternitas sunt idem realiter, nec id de quo hæc verificantur potest esse distinctum formaliter ex natura rei distinctione Scotistica, ob rationem mox adferendam, nec denique id de quo hæc contradictoria verificantur; potest esse quidquam distinctum actuale, hoc ipso enim Deus non esset infinite simplex; hinc saltem debet verificari de alio virtualiter, consequenter admissa est in divinis distinctio virtualis.

PRÆMITTO II. *Quid Nomine Distinctionis virtualis non debeat venire.*

Non debet venire distinctio aliqua in potentia, quæ exeat in actum, per aliquam intellectus operationem; Ratio, quia ista distinctio potentialis, non est actu, sed erit accedente v. g. opere intellectus, & tamen ante omne opus intellectus, datur illic objectivum communicatur & non communicatur, quod tamen de uno verificari non potest. Nec item hoc nomine venire debet distinctio vi cuius contradictoria prædicata convenient, Ratio. Tum quia convenientia prædicatorum contradictoriorum non facit distinctionem sed supponit, priusque est esse, quam dici. Tum quia hæc Explicatio videtur committere circulum, si enim quæretur quare contradictoria prædicata convenire possunt huic vel illi; Respondebis, quia sunt distincta virtualiter, si quæretur, quare sunt distincta virtualiter, Respondebis, quia illis competunt prædicata contradictoria, cui tamen quæstioni aliter satisfieri potest. Tum quia multa sunt quibus conveniunt prædicata contradictoria, quæ non distinguuntur virtualiter: nam definitio est clarius definito, quod non competit definito. Neque tamen distinguuntur virtualiter.

PRÆMITTO III. *Quid veniat nomine distinctionis virtualis.*

Nomine distinctionis virtualis intelligi æquivalentiam unius ejusdemque indivisæ Entitatis, ad plura seorsum reperibilia, quod ipsum sic explicatur: Contineri vel esse virtualiter aliquid, dupliciter contingit, I. Quando continetur aliquid in alio tanquam in Causa, sic continetur effectus in suo principio, arbor in glande,

Conclusio in præmissis, Scientiæ in principiis. II. Continentur aliqua virtualiter in alio, eo sensu, quod aliquid æquivalet pluribus seorsum reperibilibus sic v. g. aureus est virtualiter duo imperiales, æquivalet enim duobus, seorsum extra aureum, reperibilibus. Item, quod terrestres nuntii in Comitibus publicis acceptant, censetur virtualiter acceptare Nobilitas, quia concordia totius nobilitatis, & assensus per plures dispersus, adunatur in legatis uniuscujusque Palatinatus. Porro distinctio virtualis non est desumenda per potentialitatem aliquam, ita ut contineatur in aliquo tanquam in Causa, sitque ipsa in potentia, jam enim id supra rejectum. Desumenda ergo erit per æquivalentiam ad plura, ita ut una eademque Entitas accepta cum personalitate v. g. Patris æquivalet seorsum reperibilibus, nempe communicabili & non communicabili, quæ alibi seorsum reperibilia, in eandem Entitatem Divinam coeunt.

PRÆMITTO IV. *Duplicem posse virtutalem Distinctionem cogitari.*

Unam in ordine ad secundas intentiones & prædicata Logica, qualia sunt cognosci & non cognosci, præscindi & non præscindi. Et alia est Distinctio virtualis in ordine ad primas intentiones & ad prædicata physica qualia sunt produci & non produci, communicari & non communicari, hæcque secunda vocatur antonomastice, distinctio virtualis.

PRÆMITTO V. *Qua fuerit necessitas adstruendi istam posterioris ordinis distinctionem virtutalem in Divinis.*

Debant imprimis Theologi salvare in Deo summam identitatem, quæ nullam in Deo compositionem actualem admitteret, sentiebant enim Divinam essentiam, esse in omni genere perfectionis illimitatam simpliciter, quod si est illimitata simpliciter, non debet adstringi, ut sit formaliter hæc perfectio & non sit formaliter hæc perfectio.

Deinde volebant salvare prædicata hæc; communicatur non communicatur, produci- tur non produci- tur. quæ tamen de uno eodemque non verificantur, nisi invehendo in objectum implicantiam, ut ergo salvent simplicitatem Dei non ponunt ullam distinctionem actualem, ut salvent prædicata contradictoria, ponunt istam distinctionem virtutalem seu æquivalentiam ad plura, quæ aliàs solet appellari eminentialis continentia distinctionis, vi cuius habetur, ut cum summa identitate, possit idem communicari & non communicari, non quæ idem est, sed quæ æquivalet pluribus.

PRÆMITTO VI. *Quod sit Signum distinctionis virtualis ut sit.*

Signum ejus est reperibilitas unius perfectionis sine alia in aliis Entibus, quæ tamen in hoc v. g. Ente adunantur,

SUPPONGO

SUPPONO. Unde dignosci possit quod aliquid habeat distinctionem virtuales in ordine ad prædicata physica & primò intentionalia, vel in ordine ad prædicata Logica, seu secundò intentionalia. Imprimis quia distinctio virtualis in creatis nullo modo reperiri potest in ordine ad prædicata physica, qualia sunt produci non produci, communicari non communicari, quia magnum absurdum sequeretur per locum Theologicum, nempe posse dari in creatis mysterium Trinitatis, quod absurdum non sequitur, si ponatur distinctio virtualis in ordine ad prædicata, secundò Intentionalia, mysterium enim Trinitatis, est de linea primò Intentionalium. Ex hoc ergò ipso dignoscitur si aliquid increatum non sit, illi non posse competere distinctionem virtuales in ordine ad prædicata primò Intentionalia.

Deinde de ipsis divinis discurrere. Ea quæ æquivalent in divinis iis, quæ aliàs seorsim sunt reperibilia, ita ut quod uni formalitati convenit, ne in sensu quidem reali competat alteri, signum erit haberi illic distinctionem virtuales ad prædicata primò intentionalia: & ita ne in sensu quidem reali & identicè communicatur Paternitas Filio, aliàs Filius esset in sensu reali, & identicè Pater, licet non esset formaliter Pater, sicut est realiter & formaliter Deus, eo quod illi communicetur realiter & formaliter natura divina. Post hæc Scripta reperitur eadem Sententia apud Ariagga de Trinitate disp. 47. num. 20. Et apud recentiorum Suarez tract. 2. Metaphysic. disp. 2. ubi num. 156. expressè docet. Paternitatem identicè Filio non communicari. Si autem quod uni competit formaliter competat alteri in sensu reali, erit tunc distinctio virtualis, non nisi in ordine ad prædicata Logica, & ita in divinis, quia in sensu reali misericordia punit, idè non distinguitur virtualiter, virtualitate in ordine ad prædicata Physica & primò intentionalia.

Item quia animalitas in sensu reali ratiocinatur, licet non ratiocinetur formaliter, idè non distinguitur virtualitate illa prima. Tunc autem quod competit uniformitati, competit in sensu reali alteri, quæ cum illa identificatur quando nulla est, ejus adstruendæ necessitas, sicut enim non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ita nec virtualitates. Porro ab Autoribus agnoscitur vel maximè necessitas ponendæ distinctionis virtualis in ordine ad prædicata primò intentionalia, quando ipse articulus fidei id exposcit, ut exposcit v. g. in natura comparata ad Paternitatem, non exposcit in iustitia comparata ad Misericordiam.

* *

Punctum Difficultatis 1.

An distinctio virtualis, sit distinctio realis in tertio, & de aliis distinctionem virtuales in divinis concernentibus.

ALiqui videntur nolle penetrare, quid sit distinctionem virtuales tenere in divinis explicando eam, per distinctionem realem in tertio, nam hoc solum ponunt, quod sit duorum identificantium v. g. Filiationis & naturæ alietas in tertio, hoc est in Paternitate, quæ est distincta realiter à Filiatione, quod nos concedimus, dicimusque posse fieri conjugationem naturæ & filiationis comparatæ ad tertium, quod est Paternitas, eritque tunc distinctio realis in tertio. At potest etiam fieri conjugatio duarum personarum, comparatæ ad naturam, & tunc erit duorum distinctorum realiter, identitas in tertio. Sed remanet tota difficultas, an verificatio prædicatorum contradictoriorum v. g. producti, non producti habeatur formalissimè ratione verificativi, quod sit præcisè distinctio realis in tertio, & hoc intendunt recentiores aliqui, ut Perez & Elparza.

Dixi I. Parte D. 2. n. 131. Quod non re ad explicetur distinctio virtualis per distinctionem in tertio. Argumenta aliqua inibi proposita opposuit sibi quidam, dignatusque est illis respondere, subijciam argumenta prout illa sibi idem opposuit.

I. RATIO, quam sibi opposuit est. Natura divina ut est prior ratione nostra, ut distincta à Paternitate est improducta: nec enim idè Deitas produci non potest, quia non potest produci Paternitas, cum improductibilitatem Deitatis demonstret Metaphysica non demonstrans Paternitatem. Ergo Deitas non à Paternitate dicit rationem improductibilis.

RESPONDET idem. Naturam divinam pro illo statu præcisionis à Paternitate, esse improductam radicaliter, quatenus adhuc est id quod exigit identificari cum persona improducta. Hanc porro personam divinam improductam sub hoc conceptu certè demonstrat Metaphysica, quia demonstrat dari naturæ intellectualis individuum substantiam quæ sit à se, licet eam non demonstret sub conceptu expresso Patris generantis Filium.

CONTRA I. Posito quod natura divina de se, adeoque pro illo priori sit improducta non nisi radicaliter, improductio tamen illa non habetur à persona improducta, quæ in re, imò formalissimè est Paternitas, seu verificativum hujus propositionis natura non est producta, non habetur à Persona illa improducta, quæ in re & ratione nostra est ipsa Paternitas. Ergo Deitas non à

† & Pater-

Paternitate, dicit rationem improductibilis radicaliter. Antec. prob. Tum quia si quærat ex omni retro antiquitate Catholica, quare divina natura communis omnibus tribus personis sit improducta, nemo respondebit, quia Paternitas est improducta, & tamen omnis retro Theologica Antiquitas agnovit in DEO radicalem illam ut explicata est improductibilitatem, hoc est, exigentiam ut identificetur natura, improducta personæ. Quod autem retro antiquitas non dederit pro causali, natura divina est improducta, quia Paternitas est improducta, probat Auctoritas S. Anselmi de Incarnatione Cap. 3. *Quæcunque enim illis sunt communia, ut omnipotens, æternus, in hoc solo intelliguntur.* Ergo cum esse improductum quoad essentiam, sit commune omnibus tribus personis, istud esse improductum, intelligitur in aliquo communi, adeoque non in Paternitate. Ergo recurrere ad personalitatem erit novitas circa tantum Mysterium. Tum quia ex hac responsione inferent Ariani. Si competit improductibilitas Deitatis, non nisi ratione Paternitatis seu personæ improductæ, cum reliquis personis, non competat personalitas improducta seu Paternitas, nec competet improductibilitas in natura: cui enim non competit dicere in se verificativum naturæ improductæ, nec competit habere in se naturam improductam: Verificativum enim cum objecto propositionis sunt idem: cum ipsa veritas sit conformitas cum objecto. Tum quia rationem improducti in Mysterio Trinitatis, duplicem est necesse contra Arianos ponere, unam in ratione naturæ, vi cuius competat afeitas & Filio & Spiritui S. & aliam in ratione personæ quæ competit soli Patri; & tamen præfens responsio unam non nisi ponit, cum verificativum afeitatis competentis naturæ Divinæ non sit ipsa Natura Divina sed Paternitas, & si unum est verificativum utriusque improductibilitatis, una erit improductibilitas. Tum quia tenet hic Syllogismus. Ratio improducti in natura est communis omnibus tribus personis, Paternitas non est communis omnibus tribus personis. Ergo Paternitas non est ratio improducti in natura.

Tum quia cum sit de fide improductibilitatem in natura esse communem tribus personis, non esse autem communem tribus personis illam personam improductam, quæ in re est Paternitas, quomodo ratio improductæ naturæ, dic si vis improductæ radicaliter, habebitur ab eo, quod non est commune omnibus tribus personis: sicut prædicata reliqua Innascibilitas, Fontalis Originis in personalitate inclusa in Paternitate, non sunt quid commune omnibus tribus personis. Cumque ratio improductibilis in Paternitate non sit condistincta à ratione fontalis originis processionum Divinarum, sicut reliquis personis hæc fontalis ratio non competit, ita nec cõpetet indistincta virtualiter ratio impro-

ducibilis: si non cõpetet, nec cõpetet natura improducta: Ergo apparet improductibilitatem naturæ non ratione Paternitatis haberi. Tum quia ponatur hæc demonstratio. Cui competit esse improductum, sed cui competit esse naturam Divinam, illi competit esse ens à se. Ergo cui competit esse naturam Divinam, competit esse improductum. Numquidne sub ly Ens à se subintelligitur præcisè Paternitas? Si subintelligitur, non erit hoc argumentum demonstrativum, sed error; habebit enim Minorem contra fidem: erit enim ejus hic sensus. Cui competit esse Deum, competit esse Patrem: Si autem sub ly Ens à se non subintelligitur Paternitas: Ergo afeitatis verificativum non est Paternitas: nam verificativum propositionis subintelligitur in propositione. Qui ipse medius terminus sic proponitur aliter. Doctrina quæ falsificat formam non est admittenda, sed si ponatur, quod verificativum naturæ divinæ improductæ, voca si vis radicaliter, sit Paternitas improducta, falsificaretur forma. Ergo. Minor prob. quia dictus Syllogismus est revera in Barbara, prædicta autem assumptio respondentis ponit illud argumentum non esse in Barbara. Quod ipsum prob. Nam illius Majoris veræ, sensus universalis est. Omne & solum quod est ens à se est improductum; per oppositos autem esset iste sensus. Aliquod & solum quod est Paternitas, est improductum, quæ propositio & particularis est, adeoque destructiva Modi Barbara, & falsa: nam non solum quod est Paternitas, est quid improductum: nam Filio non competit Paternitas, & tamen competit esse improductam naturam. Hinc ulterius si quæritur. Sub termino omne & solum quod est Ens à se est improductum, vel respondet verificativum omne & solum quod est Paternitas, vel non respondet; si non respondet. Ergo Paternitas non est illud verificativum: nam verificativum responderet sub propositione verâ: Si responderet Paternitas, ergo & est illa Paternitas verificativum dicti termini ut supponitur, & non est verificativum, quia facit propositionem falsam: nam non sola Paternitas, quæ non respondet in Filio Dei, sed & ejus natura, est improducta. Quod autem vel falsificat formam, vel verum, hoc ipso non est verum: nam verum non falsificat verum, sed non nisi falsum falsificat, sicut lucem lux non aufert, sed tenebræ. Tum quia mala est hæc interpolatio, quam aliquando disputans mecum fecit Arianus olim, nunc Catholicus per Dei gratiam Magnus ac Generosus D. Elias à Bukovvec Schlitnig, Burgravius in Palatinatu Pofnaniensi, cujus argumenta mihi proposita habes I. Parte disp. ult. à n. 292. ad n. 361. mala inquam est hæc interpolatio, credo in unum Deum Patrem omnipotentem, sed debet esse talis, credo in unum Deum. Patrem omnipotentem, ut scilicet unum Deum, non conjungatur cum solo Patre omnipotente. Ergo & improductibilitas non

tas non debet conjungi cum sola Paternitate, nec sola Paternitas esse ejus verificativum, & si Deus non dicitur unus unitate desumibili à Patre. Ergo nec debet dici improductus improductibilitate desumibili à solo Patre.

Tum quia tenet si placet Respondens ex improducto personali, probare improductum commune omnibus tribus personis: si autem ex improducto personali non potest legitime inferri improductum commune, apparet quod Paternitas, quæ est improductum personale, non sit verificativum hujus termini natura divina est improducta, nec apparet, quid probari posset nisi assumendo hanc Majorem: Identificatum improducto personali, & ipsum est improductum; quæ propositio est falsa; quia si causalis hæc. Ideo natura divina est producta, quia identificatur producta personalitati, est falsa; etiam hæc erit falsa, ideo est improducta natura, quia est identificata improducta Paternitati. Si autem non potest probari, ex improducto personali, improductum commune omnibus tribus personis, apparet quod hujus termini natura divina est improducta, quæ per fidem est communis omnibus tribus personis, non sit verificativum Personalitas improducta. Tum quia vera est causalis. Ideo natura divina est improducta quia est à se, falsa autem hæc causalis, in sensu ut suppono formali. Ideo natura divina est improducta quia est Pater: nam sicut nullum datur prædicatum verificabile de Paternitate verificabilitate orta ex Filiatione: quia de Filiatione, quâ tali non participat Pater, adeoque nec de prædicatis inclusis in filiatione quâ tali, consequenter nec participat de verificativis inclusis in filiatione quâ tali, simili jure nec filiatione participabit de verificativis inclusis in Paternitate, & tamen participat de prædicatis improducti: Ergo verificativum hujus prædicati improductum non habetur à Paternitate; seu non est vera hæc causalis: Ideo natura est improducta, quia Paternitas improducta. Et certe cui nihil sit de participatione paternitatis quâ talis, illi nihil erit participationis, de verificativis inclusis in Paternitate quâ tali: nam hæc duo idem sunt formaliter. Ergo cum Filiationi, nihil sit de participatione Paternitatis quâ talis, nihil erit de participatione verificativi inclusi in Paternitate, adeoque nihil erit de participatione improducti: nam cui non competit verificativum improducti participare, nec competet improductum participare: inter prædicatum enim, & verificativum prædicati quâ tale debet esse identitas: aliàs posset esse aliquid verè album non participando de albedine, quæ albedo cum aliis, est verificativum prædicati album.

Tum quia posito prædicto principio videtur tenere Syllogismus cujus conclusio est falsa, nempe hic. * Aseitas est essentia divina sed sola

Paternitas est aseitas. Ergo sola Paternitas est essentia divina. Major prob. nam definitivè & de primò essentiali conceptu essentia divinx per oppositos est Aseitas. Minor prob. quia sola Paternitas, est improducta: reliquæ enim personæ divinx, sunt productæ: & si non sola Paternitas est improducta, nec sola erit verificativa prædicati improductum competentis divinis: quod si sola Paternitas est improducta sola erit aseitas: nam hæc duo idem sunt realiter & virtualiter; & tamen post hanc concessam Majorem & Minorem sequitur conclusio falsa. Ergo sola Paternitas, est essentia divina. Tum quia datur identificatum, (vel si vis expressius dicere concretum) ex improducto & producto, nempe Filius cujus natura improducta, Filiatio producta. Ergo datur & verificativum improducti, & verificativum producti identificata inter se: ipsum enim esse improductum verificat prædicatū improducti, & ipsū productū verificat prædicatum producti, Ergo si productum & improductum identificantur inter se, etiam verificativum improducti & producti identificabuntur inter se; & tamen Paternitas quæ est verificativum prædicati improductum, non identificatur Filiationi, sed distinguitur realiter ab eodem. Loquendo item de identificato ex naturâ & Paternitate quæro virtualitati illi quæ est natura, vel competit ratio improducti indistincta virtualiter à naturâ, distincta autem virtualiter ab improductione inclusa in Paternitate, vel non; si competit. Ergo non ratione Paternitatis est improducta; si non competit, contra erit, quia æque natura non terminat productionem ac Paternitas. Ergo etiam illa virtualitas, erit improducta. Et si soli Paternitati competit ratio improducti, sola Paternitas erit Deitas, quæ est à se & improductum quid, jam enim aliis personis non competet improductio, cum eis non competat Paternitas, adeoque nec competet eis Deitas. *Hic allatis*

Reassumitur prædicta Ratio. Natura divina ut est prior ratione nostra & distincta à Paternitate, est improducta radicaliter ut ratio demonstrat, & hæc improductibilitas radicalis & antecedens non verificatur ratione improductæ Paternitatis ut probatur. Ergo Deitas non à Paternitate dicit rationem improductæ.

Dices. Non ratione Paternitatis sub expresso conceptu Patris generantis filium verificari prædicatum improducti, sed à persona improducta, quam sub hoc conceptu demonstrat Metaphysica.

RESPONDETUR. An sub hoc conceptu demonstrerid Metaphysica, de hoc infra. Quantum ad præsens dici potest, quod sicut nemine cogitare est verū dicere natura divina est improducta, ita & verificativū illius propositionis debet esse nemine cogitare; hoc autem non est aliqua personalitas abstracta, sed non nisi ipsa Paternitas.

nitas: Ergo si Paternitas ut probatum est non verificat hoc prædicatum, nec verificabit dicta Personalitas. Et certè illam propositionem Naturæ est improducta, verificat personalitas non producta, sed hæc non est alia nisi Paternitas. Ergo id verificat Paternitas; sed non verificat Paternitas ut probatum est. Ergo nec verificabit illa personalitas.

CONTRA II. Tum quia illud quod assumit in sua responsione, non est certum, nempe demonstrari à Metaphysicâ naturam divinam sub formalitate personæ improductæ: Quæro enim, vel demonstrat naturam divinam sub formalitate personæ improductæ, distinctæ à naturâ vel indistinctæ: si distinctæ, ubinam habetur hæc demonstratio quæ demonstrat ipsam personam distinctam à naturâ sive divina sive creata? si demonstrat sub formalitate indistinctæ, aut abstrahendo an illa sit distincta vel indistincta, quæ jam prædicatum hoc natura divina est improducta, verificabitur non ratione naturæ quod intendit Respondens? Tum quia si quæretur ex illo Metaphysico demonstrante improductibilitatem naturæ divinæ, tantumne agnoscit Personam in Deitate improductam, an etiam naturam? Responderet tanquam scientificus, naturam: nam non demonstratur Personalitas: si autem Metaphysicus scientificè, agnoscit naturam improductam divinam, cur recurritur ad Personam improductam? Tum quia hæc quæ dicitur demonstrari persona improducta, non est subsistentia absoluta, quia non datur; nec illa subsistentia est persona apud illos, qui illam concedunt: non Persona Patris sub expresso conceptu Patris ut conceditur, quid ergo est? & quidem de quo habeatur scientia, seu notitia certa & evidens. Tum quia videtur hæc Responsio recedere à propria sententia: ante enim argumentum propositum dicebatur, quod verificativum hujus propositionis natura est improducta, sit Paternitas improducta; modo autem jam non respondetur per Paternitatem, sed per nescio quam personam improductam. Tum quia etiam posito quod demonstraret Metaphysica Personam Divinam improductam, licet non sub conceptu expresso Paternitatis, redit Argumentum: an natura divina, prout prior ratione, præ illa persona improducta, ab illa habeat rationem improductæ formaliter. Quod argumentum vide loco citato in i. Parte num. 138.

CONTRA III. Tum quia Nego naturam divinam pro illo priori tantum esse radicaliter improductam, nam pro illo priori natura divina est formaliter natura divina: est enim formaliter quod est & supponitur: Ergo & formaliter est à se, adeoque formaliter improducta. Tum quia natura divina rationem naturæ divinæ formaliter, non accipit à Paternitate, vel si vis à formalitate personæ improductæ, sed hæc ra-

tio Naturæ divinæ, ante illam personalitatem præsupponitur. Ergo nec accipit rationem formaliter improductam. Ergo antecedenter est jam formaliter improducta, & non tantum radicaliter. Tum quia in quoniam sit hæc radicalis improductibilitas explicari non potest: non enim potest dici ideo esse radicaliter improductam, quia exigit identificari cum persona improducta: Dicam enim etiam esse radicaliter productam; quia exigit identificari cū persona producta Verbi & Spiritus S. Tum quia nihil deest illi improductibilitati radicali, quominus sit improductibilitas formalis: certè enim antecedenter ad Paternitatem non intelligitur terminasse ullam productionem sui. Tum quia redit tota difficultas. Competit naturæ improductibilitas radicalis, Personalitati Verbi non competit: Ergo non recurrendo ad distinctum quid realiter, potest illa improductibilitas verificari de natura ipsa, consequenter etiam addito hoc termino, manet in integro argumentum. Proinde iteratò sic proponitur in terminis respondentis. Natura divina ut est prior ratione nostrâ, & distincta à Paternitate est improducta radicaliter: Ergo Deitas non à Paternitate dicit rationem improductibilitatis radicaliter.

Addo, Respondentem attendisse quidem ad hoc, an divina natura sit improductibilis antecedenter ad Paternitatem, sed non attendisse, quomodo possit à Paternitate sumere rationem improductibilis; quod tamen tanquam primarium illa ratio involvebat. Quod si Respondens nomine improductibilitatis formalis intelligat improductibilitatem personalem, hæc autem soli Paternitati competit; sed non deberet sola appellari improductibilitas formalis: cū tam persona Patris, quàm natura nullam formaliter terminet productionem sui.

CONFIRM. Hæc omnia. Improductio radicalis competit naturæ divinæ, non competit filiationi realiter identificatæ; ostende quid tertium distinctum realiter, ratione cujus competat improductio radicalis. Nam à Paternitate habetur sola improductio formalis.

Punctum Difficultatis 2.

Restituuntur duæ Rationes pro eadem Conclusionē.

II. **R**ATIO est. Si Natura divina ratione identitatis cum Patre est improductibilis. Ergo pariter ratione identitatis cum Filio erit producibilis.

RESPONDET Idem. Disparitatem esse, quia cū denominatio Producti necessariò dicat oppositionem relativam, ideoque distinctionem realem immediatâ producti à producente, à quâ oppositione præscindit denominatio improducti, ut patet; hinc est, quod natura divina, cū sit

fit quid idem immediatè cum producente & producto, capax est, ut à Paternitate denominetur improducta, non autem à Filiatione denominetur producta; sicut nec denominatur produciens: ut enim denominetur aliquid tale vel tale, requiritur capacitas subiecti.

CONTRA est. Tum quia respondetur per hoc quod ipsum sequitur vi doctrinæ respondentis: Redit enim Argumentum: idè natura divina est improducta quia identificatur realiter cum improducto. Ergo etiam idè est relata, quia identificatur cum relato. Tum quia si aliunde non ostenditur impediri, natura, ne denominetur producta, ex eo non ostenditur, quia non est relata; nam facile assumi potest etiam esse relatam cum sit producta; est autem producta, quia identificatur producto distincto realiter in tertio, sicut est improducta, quia identificatur realiter improducto, distincto realiter in tertio. Et sicut si quis probaret finium esse rationalem; Respondens per hoc solum, quia non est risibilis, non commodè responderet: facile enim esset urgere hoc ipso quia est rationalis est risibilis, nec tu respondes cur non sit rationalis: ita & in præsentia, cum probetur sequi etiam naturam divinam esse producibilem cum identificetur producto, idque idè quia ex eo est improducta quod identificetur improducto, recursum ad hoc quod non sit relata natura divina non tenebit. Hinc si non solves aliunde cur non sit ex paritate rationis producta, per hoc non solves, quia est non relata: nam relatum sequitur necessariò ad productum. Tum quia quamvis improductum secundum rationes communes spectatum, non dicat relationem, improductum tamen quod est Paternitas, est quid relatum, utpote identificatum virtualiter Paternitati, quæ est quid relatum: si autem illud improductum est relatum & ratione illius verificatur natura divina est improducta, non autem ratione alicujus communis rationis improducti, immeritò recurritur ad illam rationem improducti, de se non relatum: imò sequitur ex hoc principio etiam naturam divinam esse improductam relatè, quod est absurdum. Nego ergo patere, quod ratio improducti à quâ denominatur per respondentem natura, non sit relativa. Tum quia non videtur esse recta hæc causalis, quam ponit Respondens. Cum natura inquit divina, sit idem immediatè cum producente & producto, capax est, ut à Paternitate denominetur improducta: quid enim ad hoc facit identitas immediata cum producente & producto ut denominetur improducta? cum potius ad id faciat identitas immediata cum improducto. Tum quia concedo ut aliquid denominetur tale requiri capacitatem subiecti, sed dico vi principiorum respondentis sequi, quod natura divina sit capax relationis: nam identificari capaci relationis est esse capax relationis, & si per respondentem rectè colligi-

tur capacem esse naturam divinam, ut sit improducta, quia est idem realiter cum improducta Paternitate, dicam etiam naturam divinam ex vi principiorum respondentis esse capacem ad referri cum identificetur relato, esse capacem ad produci cum identificetur producto.

RESPONDET hæc ratio id principium, quod scilicet causales tales sint adferendæ, quæ non inducant in errorem, inducunt autem in errorem, quando mutata materia, & retenta causalit, falsum sequitur. Sic si quis interrogatus, quare calor dissolvat? Responderet, quia est qualitas unita: causalis illius in errorem induceret, quia mutata materiâ hoc est si procedat non de calore, sed de frigore, sequitur quod frigus dissolvat; idque idè, quia etiam frigus positum in subiecto, est qualitas unita. Applicata ad præsens, quero quare natura divina est improducta, causalis est ab identificatione, quia identificatur improducto. Muto materiam improducti, in materiam producti, assumoque eandem causalem: Ergo etiam natura divina est producta: quia identificatur producto. En falsum, ex quo falso colligo priorem etiam causalem legitimam non esse.

III. RATIO est. Si distinctio virtualis reperitur inter ea, quæ in tertio realiter distinguuntur, cur non etiam inter ea, quæ realiter distincta inter se identificantur realiter in tertio, ut identificantur realiter Paternitas & Filiatio in natura.

RESPONDET Idem. Hoc idè esse, quia distinctio virtualis intrinseca, est unius indivisibilis entitatis æquivalentia pluribus distinctis realiter: quæ autem in tertio distinguuntur sunt adhuc indivisibilis entitas: Paternitas autem & Filiatio quæ identificantur realiter in tertio, sunt plures relativæ entitates.

CONTRA. Tum quia illo loco solum hoc intendimus. Sicut reperitur distinctio illa inter distincta realiter in tertio, ita reperiri etiam inter identificata in tertio. Et sicut dicunt oppositi fide sancitum esse dari ibi duas formalitates v.g. Paternitatem & essentiam realiter inter se identificatas, & dari tertiam formalitatem v.g. Filiationem identificatam realiter cum essentia, distinctam realiter à Paternitate, quæ est tertia formalitas; ita fide sancitum est dari ibi duas formalitates distinctas realiter Paternitatem & Filiationem, identificatas cum tertio, quod est essentia Divina: nec hoc negari potest, illudque solum inibi intenditur. Videturque sive assumatur quod tuetur Respondens, sive assumatur quod importat ratio ad lata, solum ostendi subiectum, cui competit dicere distinctionem virtualem; non autem ostenditur universaliter, quare illa prædicata sine contradictione verificari possint. Tum quia redit argumentum etiam posita identificatione in tertio, salvabitur, quod distinctio virtualis intrinseca, si unius indivisibilis entitatis æquivalentia pluribus distinctis

† K 3 reali-

realiter: nam unumquodque eorum tertio identificatum, est indivisibilis entitatis, & tamen pluribus æquivalens. Tum quia virtualis distinctio, non tam est alicuius quàm æquivalentia ad aliteratem: Ergo ad exclusionem illius actualis alicuius, potest illa in Divinis peti ex identificatione in tertio.

IV. RATIO. Si per impossibile animal hominis ne quidem in sensu reali ratiocinaretur, sed tantum rationale, tunc daretur inter istas formalitates distinctio virtualis in ordine ad prædicata physica, sine ulla distinctione reali in tertio.

RESPONDET Idem. In tali casu ficto, non futuram distinctionem virtuales inter animal hominis & rationale, perinde ac non datur distinctio eadem inter Hirco & Cercum in Hirco Cervo, alioquin casus qui ab arguente supponitur esse chimæricus, siquidem non esset chimæra de eodem verificari contradictoria physica.

CONTRA. Tum quia si quis ponat, si Leo per impossibile esset homo, ratiocinaretur, non recte quis ei responderet, non ratiocinaretur, quia aliàs casus hic non esset chimæricus, ratiocinari enim non est chimæra: Ergo nec præsens responsio recte procedit. Tum quia casu objectionis posito, non daretur tunc quidem actu & absolute distinctio virtualis, daretur tamen in suppositione illa impossibili, & conditionatè, nec dandam eo sensu, probatur ulla ratione. Tum quia etiam in Hirco & Cervo, si per impossibile daretur, & si per impossibile, ne in sensu quidem reali operatio hirci penderet ab esse Cervi, nego quod tunc in suppositione hac, non sequeretur dandam conditionatè in illo hircò cervo distinctionem virtuales; licet si tantum supponatur hircocervus, nihil tunc sequatur de conditionatè ponenda in illo distinctione virtuali, quia suppositio impossibilis de hoc non formatur?

V. RATIO. Procedit querendo ratione cuius tertii natura divina distinguatur virtualiter intrinsecè, à tribus personis simul sumptis, & ratione cuius tertii natura sit communis & non Paternitas.

RESPONDET Idem. Naturam à tribus personis simul sumptis distinguere realiter in tertio prædicato, nempe tum in una Persona seorsim sumpta, tum in duabus. Addit tertium ratione cuius natura est communis non debet esse commune: Nam profecto etiam in Creatis Natura humana est communis ratione Petreïtatis, Pauleïtatis, quæ non sunt quid commune.

CONTRA. Tum quia Argumentum procedit de natura comparata non ad unam personam, à qua distinguantur realiter duæ, nec procedit de natura comparata ad duas personas, à quibus distinguatur realiter una persona; sed procedit de natura, comparata ad omnes simul tres personas: non ergo fit satis intento argu-

menti: Redit enim sic. Datur contradictoria quæ verificantur in divinis, & nõ ratione alicuius tertii distincti realiter, quod ipsum prob. Nã natura est comune seu participabile quid per identitatem, persona simul sumptæ, non sunt quid commune seu participabile per identitatem: Rogo ratione cuius tertii distincti realiter, verificatur illud prædicatum Natura est communis. Tum quia. Quod dicitur: Ideo esse naturam communem, quia identificatur non soli Patri sed etiam & Filio & Spiritui S. redit argumentum ratione cuius distincti realiter, verificatur hoc prædicatum: Natura potest identificari non tantum sibi sed & Patri & Filio & Spiritui S. personalitates non possunt identificari, nisi unaquæque sibi: Addo si non est necesse hoc prædicatum producti quod est Filius, comparatum ad naturam improductam verificari ratione alicuius tertii, sed verificatur ratione identificati realiter, cur non & prædicatum improducti, verificari poterit ratione naturæ, non recurriendo ad quidquam distinctum? Tum quia immerito dicitur naturam humanam esse communem ratione Petreïtatis, Pauleïtatis, quæ nõ sunt quid commune: Nam sicut si quis dicat album non esse album imperceptibile dicit: ita si quod est commune, esse dicatur non commune imperceptibile est. Deinde nego naturam humanam esse communem ratione Petreïtatis, Pauleïtatis: est enim id cui est comune, id autem cui aliquid est commune non debet esse comune, sed id quod est commune, cum sit id quod est, debet esse commune: Hinc natura humana ratione sui est communis per multiplicationem. Imò concedamus, quod tertium ratione cuius natura est communis non debeat esse commune, ostendatur tamen distinctum realiter in tribus personis, quod verificet hoc contradictorium Natura est communis, ut teneat doctrina assumpta de contradictoriis non verificabilibus nisi ratione distinctionis realis saltem in tertio.

Redit ergo argumentum natura est communis, Personalitates simul etiam sumptæ non sunt communes. Natura est non relata, personalitates omnes sunt relatæ. Essentia divina non distinguitur virtualiter à natura, essentia divina distinguitur virtualiter à personis. Ostendatur ratione cuius distincti realiter in tertio, essentia habet, ne distinguatur virtualiter à natura.

Rursus natura divina est improducta radicaliter, Personalitas Verbi non est improducta radicaliter, ostendatur quid sit distinctum realiter, ratione cuius competat illud prædicatum naturæ. Nec est hic recurrere ad Paternitatem, quia loquimur de improductione radicali, quam non accipit à Paternitate. sed quæ præsupponitur Paternitati. Concedo quidem quod commune per identitatem non debeat haberi ratione distincti realiter sed in Tuis principiis debet haberi, quia in Tuis principiis commune &

non

non commune non possunt verificari nisi ratione distincti realiter, vel jam non erit Universalis, contradictoria non verificari nisi de distinctis realiter saltem in tertio.

CONFIRMATUR. Querendo ratione cujus tertii Natura identificetur cum Filio & Spiritu S. non autem Paternitas.

RESPONDET idem. Hæc contradictoria esse formalissime ipsam in tertio distinctionem realem Naturæ à Paternitate, ac proinde frustra requiri tertium ratione cujus hæc contradictoria verificentur de Natura & Paternitate, nequit enim distinctio realis in tertio dari sine tertio.

CONTRA. T. q. Accipio hoc ipsum. Nequit dari distinctio realis in tertio sine tertio; ostende ergo istud tertium distinctum realiter, quod dicitur identificari, etsi identificatur, hoc ipso non est distinctum realiter. Unde nego hæc contradictoria esse formalissime ipsam in tertio distinctionem realem, cum non ostendas istud tertium realiter distinctum. Tum quia magis adhuc urgebit Argumentum, querendo ratione cujus tertii distincti realiter Natura identificetur, tres personæ, (tres pono non solum Paternitatem) non identificentur. Tum quia salvo, salvo meliori, non debet unquam, & ullo modo dici, quod detur distinctio realis Naturæ à Paternitate; vel enim sequeretur multiplicitas Deitatis, quod est Politheismus, vel negatio Deitatis de Paternitate: Distincta enim realiter negantur de se. Et certe illa Deitas distincta realiter à Paternitate in tertio vel est eadem cum illa quæ identificatur cum Paternitate, vel non eadem: si eadem, qui identificatur realiter, idem alicubi distinguitur realiter: si non eadem, Ergo dantur plures Deitates, una non identificata, altera identificata, altera identificata Paternitati.

VI. RATIO. In opposita sententia sequitur, quod nullum prædicatum conveniat Naturæ Divinæ ratione sui, sed tantum ratione Personarum.

RESPONDET idem. Esse omnipotentem, Sapientem &c. similia prædicata, quæ tam de Natura Divina dicuntur, quàm de omnibus Personis conveniunt Naturæ formaliter ratione sui, solumque illa desumuntur ab aliqua Persona, vel Personis, quæ contradictorie dicuntur de Natura, & de Persona vel de Personis, ut esse improductum, esse commune &c.

CONTRA. Tum quia. Si prædicata quæ tam de Natura quàm de omnibus Personis dicuntur conveniunt Naturæ ratione sui, Ergo & verificatio prædicatorum in illa materia contradictoriarum, conveniet Naturæ ratione sui, adeoque non ratione distincti realiter in tertio: cujus oppositum intendit respondens, adeoque si dicatur omnipotentia non est identificata virtualiter Personis (absoluta enim à relativis in Deo distinguuntur virtualiter) hæc contradictoria

verificabitur ratione sui, seu Naturæ à qua est indistincta virtualiter Omnipotentia, adeoque non ratione alicujus distincti realiter. Et si esse omnipotentem non desumitur à Persona, etiam esse improductum in Natura non desumetur à Persona. Tum quia, illa solum prædicata desumuntur ab aliqua Persona, vel Personis, quæ contradictorie dicuntur de Natura & de Persona vel Personis. Ergo improductibilitas in Natura, cum tam competat Naturæ, quàm Personis ratione Naturæ, non desumetur ab improducta personalitate Patris. Tum quia, Redit sic Argumentum factum. Et imprimis suppono, etiam de absolutis prædicatis posse formari contradictorias propositiones, respectivè ad formalitates relativas, idque ex eo, quia ipsi ly *Est* potest contradictorie opponi *Non*: Ergo & quibuscunque particularibus *Est* inclusis sub *Est* universalis, potest opponi *Non*. Rursus quia de facto duæ propositiones tales formari possunt, v.g. omnipotentia sequitur virtualitatem Naturæ, Omnipotentia non sequitur Virtualitatem Personæ, seu quod idem est indistinguitur Virtualiter Omnipotentia à Natura, distinguitur à Personalitatibus. Suppono deinde contradictoria non posse verificari in Divinis, nisi ratione distinctionis reales in tertio. Suppono 3. Hoc tertium distinctum esse Personalitates. His suppositis: Reassumitur Argumentum, nullum contradictorium prædicatum convenit Naturæ Divinæ salvabile ratione sui, cum illa non sit quid distinctum realiter in Divinis. Ergo salvabitur contradictio ratione personarum, quæ in Divinis sunt & quidem solæ, distincte realiter. Rursus ipsa ratio Naturæ Divinæ quæ est aseitatis seu improductibilitas non salvatur ratione sui sed ratione Personæ Patris improductæ: Ergo & inclusa in Natura cum identificatione Virtuali non salvabuntur ratione sui, sed ratione personæ vel personarum.

Antequam hæc & alia argumenta proposuissem in prima parte consului viros doctos, erat enim hæc sententia primum à me impugnanda, inter quos, Patrem Danielem Pavlovski, Collegam meum olim, & nunc Theologiæ Cracoviæ Professore, Virum in humanioribus ingeniosissimum, & in speculativis acutissimum, & quia censuit ille; cum aliis, argumenta à me proposita, benè urgere, hinc etiam in præfati fidenter ea restauravi.

Punctum Difficultatis 3.

Adduntur aliqua & notantur.

Addenda hic sunt aliqua pensando mentem Cujusdam.

PONIT I. Quod distinctio Virtualis intrinseca consistat in eo, ut Ens aliquod in se unum

† K 4 realiter

realiter sit nihilominus potens verificare prædicata contradictoria. *Hoc positum*

NON SATISFACIT. Quia supponit ille dari in Divinis distinctionem istam Virtualementem intrinsecam, & tamen & illic non datur verificatio, formaliter contradictorium, quæ appellatur in I. Parte proportionata affirmatio & negatio: Hinc etiam in Divinis non potest verificari hæc formalis contradictoria, Natura communicatur, natura non communicatur, Paternitas non communicatur Paternitas communicatur. Et Ratio est, quia si vel semel verificaretur contradictoria formalis, falsificaretur principium lumine naturæ notum: Quodlibet est aut non est: Imò ulterius si verificarentur duo contradictoria formaliter non quodlibet esset aut non esset, sed esset & non esset, esset quia affirmaretur, non esset quia negaretur. Unde quando dicitur, Natura communicatur, Paternitas non communicatur, ly quidem communicatur & non communicatur sunt contradictoria formaliter, sed Natura communicatur, Paternitas non communicatur, non sunt contradictoria formaliter, quia non procedunt ratione ejusdem, idque supposita aliunde distinctione virtuali. Si tamen hæc duo natura communicatur, Paternitas non communicatur dicerentur de objecto creato, essent formaliter contradictoria: quia supposito quod illic non sit distinctio virtualis in ordine ad prædicata physica, & primò intentionalia, ratione ejusdem diceretur communicatur, & non communicatur, adeoque jam foret formalis contradictio. Quod si etiam in Divinis non datur verificatio contradictorium formaliter, immeritò sine ullo addito explicatur distinctio virtualis per istam convenientiam prædicatorum contradictorium.

PONIT II. Quod asseratur hæc distinctio virtualis intrinseca in Divinis à plerisque: idque eo, quia Personalitas Patris æterni identificatur realiter cum Naturâ Divinâ, nihilominus de hac Naturâ affirmabilis est à parte rei Personalitas Verbi, quæ eadem personalitas Verbi, negatur de Personalitate Patris. *Hoc positum*

NON SATISFACIT. Quia quamvis in hoc Mysterio difficultates sint connexæ, ut dum considerando Patrem enuncio Natura communicatur, Paternitas identificata naturæ non communicatur. Item Personalitas Filii est idem cum Natura Patris, Personalitas Filii non est eadem cum Personalitate Patris, id tamen ad quod inventa est distinctio virtualis (voca illam nunc intrinsecam) non est, ad salvandum, cur negari de se possint ipsæ Personæ: hoc enim oritur ex distinctione non virtuali, sed reali earundem inter se: sed quod distinctione virtuali salvari debet, est circa formalitates inter se non distinctas realiter, qualis est Natura & Personalitates. Unde si quæretur cur Paternitas & Filiatio distinguantur in Natura; non est necesse recur-

rere ad distinctionem virtualementem: sed satisfit dicendo quia Paternitas & Filiatio distinguantur inter se realiter, non distinguuntur autem realiter à natura. Si autem quæretur, quare Natura est communis Paternitas non est communis, fiatque quæstio inter terminos non distinctos realiter, tum primum recurri debet ad distinctionem virtualementem. Fundaturque ulterius in hoc istud assumptum: Quia de distinctione virtuali discurrendum est inter terminos, secundum quod identificados realiter: Jam autem Natura quidem & Personalitas sunt termini identifiati realiter, in illisque recurritur ad distinctionem virtualementem; non autem inter terminos non identificados realiter qualis est Paternitas & Filiatio. Si tamen de personis distinctis realiter instituitur quæstio reducta ad terminos identificationis, tum primum recurritur ad distinctionem virtualementem: quia illa procedit, semper inter terminos identificados realiter. Unde si quæretur, quare Paternitas identificatur cum Natura, non identificatur autem cum Filiatione? Responderi potest: quia sunt unum in natura, ideoque identificantur in Natura, personis autem distinguuntur realiter, adeoque in illis non identificantur realiter. Ubi ut vides, quia quæstio instituta de terminis non identificados inter se, ideo nec responsio datur per recursum ad distinctionem virtualementem: Si autem redigas quæstionem ad terminos identificados realem importantes v.g. cur potest natura esse communis, & non Paternitas, cum sint inter se idem, redigitur jam quæstio ad terminos identificados importantes, ideo & responsio fiet per distinctionem virtualementem; quia scilicet inter se distinguuntur virtualiter Natura & Paternitas. Jam autem præsens Positum, non videtur clarè hæc duo distinguere.

PONIT III. Ex mente Ovidii, quod sint severè reprehendendi, qui hanc distinctionem divina humanis confundentes transulere ad creata, tandemque addit. Distinctionem virtualementem extrinsecam dari in in Creatis. *Hoc Positum*

NON SATISFACIT. Quia non recitantur Auctores, qui similem distinctionem in Creatis posuerint, ut datur inter Naturam & Personalitatem divinam, adeoque qui agnoverint Mysterium Trinitatis in Creatis. Quod autem admittit indiscriminatim distinctionem virtualementem in ordine ad prædicata extrinseca, indiget limitatione. Certè enim dextrum & sinistrum sunt prædicata extrinseca, numquidne idem ratione ejusdem potest esse dextrum & non dextrum. Relatio Paternitatis creatæ v. g. agnoscitur à Scotistis extrinsecus adveniens, numquidne idem potest esse Pater & non Pater?

Notantur Quedam.

NOTO I. Circa responsionem ad secundum: (eo enim loco positum est hoc argumentum

tum à respondente) Agnosci à respondente præter improductum personale, improductum commune omnibus tribus; quæ tamen divisio, cum pernecessaria fuerit, nullibi attacta est. Cum autem nunc agnoscat, & agnosci debeat tanquam articulus fidei, quærere restat, id quod erat huius argumenti intentum: Ratione cuius distincti realiter in tertio, verificetur hoc de natura? sic enim formo propositionem: Improductio Naturæ est improductum commune omnibus tribus personis. Improductio Paternitatis, non est improductum commune omnibus tribus personis. Quærere quæ restat, hoc, quod tot argumentis quæsitum: Ratione cuius distincti realiter in tertio, verificetur hoc prædictum, Natura Divina est improductum commune omnibus tribus personis?

Rursus. Si datur improductum commune omnibus tribus personis, quod appellat respondens Improductum Radicale, qualis erit illa causalis (nam abstineo à censura) ideo naturam esse improductam, quia persona Patris est improducta. Nam si illa vera esset, solus Pater esset Deus, quia ille solus verificaret rationem improducti, rationem Entis à se, adeoque rationem Naturæ Divinæ.

Adde. Licet antecessio illa, quæ Natura, ratione quædam cogitatur antecedere Paternitatem, sit quid secundo-intentionale; cæterum quod Natura sit improductum commune omnibus tribus personis, & quod sit improductum Radicale, non est prædicatum secundo-intentionale, sed primo-intentionale, & independenter à nostris conceptibus verum: & de hoc iterato quæritur: Ratione cuius tertii distincti realiter verificetur? Quanquam dum nostrum argumentum evincebat: Dari antecessionem Naturæ ante Paternitatem, hoc solum intendebat: Si antecedit Natura per rationem Paternitatem, proque illo priori convenit illi formalitas improductæ, ergo non à Paternitate habet rationem improductæ. Falsa ergo est illa causalis: ideo natura Divina est improducta, quia Paternitas est improducta. Deinde non satis intelligitur, nec Catholicè intelligi potest illa propositio: Oppositum contradictoriè prædicatum dicit de Filio, nempe non esse improductum radicaliter; si enim de Filio dicitur, quod sit Natura Divina, dici debet, quod sit improductum radicaliter. Explicari ergo debet hæc propositio. Quod si intelligat respondens sub dicta phrasi Virtualitatem improducti radicalis, non esse virtualiter Virtualitatem productæ Filiationis, vera erit doctrina; sed restat ostendendum: Ratione cuius distincti realiter, verificetur de natura ly improductum radicaliter; cum hoc ipsum non verificetur, de Filiationis virtualitate. Denique quod dicit respondens improductum quod datur in Filio per identitatem esse commune, de quo improducto

non agitur, quod inquam dicit, hoc ipsum plane est in quæstione, de hocq; ipso agitur; nempe ratione cuius distincti realiter in tertio conveniat hoc prædicatum Naturæ, esse improductum commune omnibus tribus.

Sed quid de illa phrasi sentiendum, Natura ut existens in Filio, habet existentiam in Patre; ideo adhuc in Filio constituitur in ratione improducti, quasi ex obliquo per Paternitatem, quamvis hæc non sit per identitatem in Filio: certè cum jam agnoverit respondens improductum commune omnibus tribus, condistinctum ab improducto personali; poterat, & debebat, in hac ratione improducti communis salvando, recurrere, non ad obliquum Paternitatis, quæ est improductum personale, sed ad improductum commune, quod improductum commune, est per identitatem in Filio. Videtur ergo quoad vocem concedi improductum commune, non quoad rem, cum in illo salvando, recurratur iteratò ad Paternitatem.

Manet ergo insolutum argumentum: nempe dari improductum commune omnibus tribus personis, cuius verificativum non potest esse aliquid distinctum realiter in tertio, quod sit commune omnibus tribus personis; adeoque falsam esse celebrem illam causalem: Ideo natura Divina est improducta, & quidem nemine cogitante, quia Paternitas est improducta. Consequenter poterat respondens non dicere, quod argumenta non premant.

NOTO II. Circa responsionem ad tertium argumentum, Concedo, quod productum ex suo conceptu sit relativum; sed quærere restat: Cur conceptus hic relativus, non competet Naturæ Divinæ ratione Filiationis productæ? Concedo, quod esse improductum non sit relativum, sed quære restat: Cur sicut ex identificatione Naturæ cum Paternitate, habeatur in Natura ratio improducti, quæ non est Relativa, cur inquam, non habeatur etiam ratio producti in Filio, quæ est producta. Quærere item restat est ideo capax Deitas, per te, improductionis, quia identificatur cum Paternitate, etsi aliunde, habet hanc capacitatem improductionis. Falsa erit prædicta Causalis. Ergo, quod non concedes, debet etiam esse capax distinctionis realis à producente, ratione productæ Filiationis: ideo enim, per te, est capax Natura Divina improductionis formalis, quia identificatur Paternitati. Ergo etiam erit capax productionis formalis, quia est identificata productæ Filiationi.

Quod autem dicitur hoc totum negari; Omnes Catholici debemus fateri, Deitatem identificari alicui prædicato, v. g. Generat, non tamen esse capacem, ut ab illo prædicato formaliter denominetur Generans. Concedo enim, quod omnes Catholici negemus Naturam denominari Generantem, quia identificatur Generanti, eo quod supponamus hanc majorem:

Prædicata

Prædicata competentia personalitatibus, non competere Naturæ, salva identitate reali. Sed hanc maiorem destruxit respondens, dum docuit, Prædicatum improducti competere Naturæ, ratione nempe Paternitatis. Concedo, quod postulet Condicio Deitatis, ut identificetur tribus omnibus personis. Sed ex responsione sequitur: posse illam, idque in istis principiis, denominari productam: redit enim paritas: potest denominari improducta, esseque improductionis capax, quia identificatur Paternitati. Ergo etiam erit capax, ut denominetur producta, jam enim respondens destruxit illam maiorem: Prædicata à Relativis oriunda, non competunt Naturæ, ceteroqui identificata.

Rursus. Concedo, quod v. g. Gratia habitualis denominet Christum Sanctum, non denominet Filium Dei Adoptivum, cum utroque hoc modo denominet hominem: quia nulla assumpta est maior, vi cuius sequatur, hanc denominationem debere competere etiam Christo, etsi assumeretur, etiam de Christo verum foret, quod esset etiam filius adoptivus: hinc si aliquis hanc causalem poneret: ideo aliquis est filius adoptivus, quia habet gratiam creatam, sequeretur, sed falso, quod sit etiam Christus Filius Adoptivus. Ergo cum assumpserit respondens hanc causalem: ideo Naturam Divinam esse improductam, quia identificatur Paternitati improductæ, sequetur Naturam Divinam esse productam, cum identificetur Filiationi productæ; causales enim mutato subiecto semper tenent. Deinde concedo, quod improductum ex principiis fidei, possit identificari immediate tam producenti quam producto; sed querere restat: cur sicut habetur improductum, identificatum cum producente ratione identificationis cum improducto, ita non habetur ratio producti, ob identificationem cum producto? Denique quod dicit respondens, immerito sibi objici, quod data sit ab illo causalis quæ inducat in errorem: non enim inquit, ideo præcisè diximus Deitatem esse improductam, quia identificatur Patri improducto, sed quia etiam est capax huius denominationis: ex hac autem causali non sequitur hic error. Sed certè revolvantur scripta auctoris primitus edita, at non hæc sola causalis sit ab illo data: ideo Naturam Divinam esse improductam, quia Paternitas est improducta, ex qua causali sine illo addito, cum sequatur error, merito dictum est, quod illa causalis inducat in errorem: de illa etiam subiecti capacitate, dicetur infra.

Manet ergo insolutum argumentum, quod scilicet ex prædicta causali sequatur: etiam Naturam Divinam esse improductam.

Continuantur Notata.

Noto III. Circa responsionem ad quartum quærit scilicet, argumentum nostrum: Ratione

cuius tertii Natura in sensu reali (supponit indubie respondens, etiam in sensu formalissimo) sit communis? quod enim dicit ratione cuiuslibet personæ seorsim esse communem, certè id maxima moderatione indiget; nam est de fide, quamlibet personam seorsim nec una duas, nec una tres, esse quid commune; quomodo ergo ratio communis, habebitur ab illis? Deinde quod dicit respondens, tertium illud, non esse quid commune; quia potest sumi denominatio ab aliquo non participante similem denominationem; sic enim homo dicitur mortalis ab unione, quæ ipsa non est mortalis, & filius Dei à gratia, quæ ipsa non est filia Dei; id etiam non convincit. Quia quæcunq; regula detur, quod interdum possit sumi denominatio ab aliquo non participante similem denominationem, interdum etiam debeat sumi à participante, ut v. g. non potest aliquid denominari album, nisi ab albedine, & non à nigredine, nec rationale, nisi à rationali; eadem probabit rationem communis in Natura, debere desumi ab aliquo, quod ipsum sit commune. Est autem de fide, non dari commune ullum in Trinitate, quod sit realiter distinctum. Deinde quæro directè: Daturne in Divinis aliquid commune de se vel non datur? si non datur; ut quid tota retro antiquitas docuit sine addito! Naturam Divinam esse communem? si datur, ut quid recurritur in salvando hoc prædicato, ad id quod non est in se commune, videtur ergo quoad vocem concedi istam communitatem, in re negari, cum in illa salvanda, recurratur ad aliquid non commune. Et si non datur aliquid commune, ratione cuius salvetur hæc contradictoria: Natura est communis, Persona non est communis, Ergo falsa positio respondentis est; Contradictoria primo intentionalia, salvari in divinis, ratione alicujus distincti realiter in tertio. Illud autem additum: denominatio communis in creatis physicè loquendo sumitur non ab aliquo communi, sed à singularibus, nullo pacto hic salva fide applicari potest. Quia communitas physica, est per plurificationem realem, communitas autem Naturæ Divinæ, est communitas per identitatem. Quætere ergo restabit: Natura Divina est communis per identitatem, ratione ergo cuius distincti realiter in tertio, habetur illa communitas: & sicut ratio improducti competens Naturæ, habetur ratione alicujus distincti realiter in tertio improducti, ita ratio communis debet etiam dari ex aliquo communi distincto realiter in tertio, quod de fide est, non dari. Deinde mortalitas in re est separabilitas formæ & materiæ unitarum. Detur ergo aliquid, quod in re sit commune omnibus.

Rursus. Quod dicit si accipiat Deitas seorsim, & seorsim tres simul personæ, Deitatem sic sumptam, à tribus personis distingui in tertio, non

non formaliter sed exigitive, quatenus adhuc in illo statu præcisionis exigit identificari realiter cum qualibet seorsim persona, atque in hac tanquam in tertio distingui realiter à Trinitate personarum, quod inquam dicit, explicare ulterius deberet respondens. Quia cum in Trinitate nihil sit nisi Deitas, & tres personæ; quomodo assumptis simul tribus personis distinguetur in tertio etiam exigitive cum de fide sit, præter Deitatem exigitivam, & tres personas simul sumptas, nihil ultra esse, de fideque sit, istam Deitatem, non esse distinctam realiter à personis. Concedo, quod natura exigit identificari realiter cum qualibet persona seorsim sumpta; sed de fide est, præter naturam ita exigitivam, & præter personas simul sumptas nihil ultra haberi, nec istam Deitatem esse distinctam realiter. Non ergo habetur distinctum quid realiter tertium verificativum; cumque argumentum assumat unà omnes tres personas, non licebit ad unam vel duas personas recurrere, cum de illis ipsis jam inclusis, procedat argumentum.

Adde. Quid sentiendum est de illa propositione respondentis. Quamvis, inquit, oppositum competat tribus personis simul sumptis à natura prævisis, quæ scilicet non exigunt non distingui in tertio à Trinitate, hæc tamen opposita prædicata salvari possunt per distinctionem rationis, ita, sicut salvantur hæc prædicata opposita: Animal hominis secundum se non exigit esse in homine, rationale exigit, quid inquam, sentiendum sit? & dico desiderari, ut explicitè nominentur contradictoria, quæ admittit respondens, non exigere, ut distinguantur in tertio à Trinitate. Si enim sint prædicata, quæ non opposuit argumentum, superfluet dicta responsio; sed si sint prædicata de quibus hic agitur, v. g. Natura est communis, Personæ simul sumptæ non sunt quid commune, si inquam dicitur habebitur intentum: Nam & Natura, & simultas trium personarum est nemine cogitante: hinc, si non ostenditur, in quo tertio Natura sit communis, & ceteroqui prædicta prædicata conveniunt nemine cogitante Deitati, hoc ipso evincitur non ratione alicujus tertii, illa verificari. Ut autem jam supra dixi, antecessio Naturæ ad personalitates, hæc est per præcisionem, sed quod Natura sit communis, personæ omnes non sunt communes, id non habetur ex statu præcisionis. Exemplum allatum non habet verificationem contradictoriorum, nisi contineat falsificantes propositiones: Certè enim animal hominis, secundum quod est animal hominis, æque exigit esse hominis, ac exigit rationale; falsa ergo est negativa. Dixi: nisi contineat terminos se falsificantes; nam si animal hominis in una propositione accipiat secundum se, seu in suppositione simplici, & in alia propositione sumatur in suppositione personalis. Sic quidem verificabuntur dictæ propo-

sitiones sed per terminos falsificantes. Sine ulla autem falsificatione verum est: Natura Divina est communis, personalitates non sunt communes.

Manet ergo solvendum hoc argumentum: Tres personæ simul sumptæ non sunt quid commune; Natura est quid commune, ratione cuius tertii distincti realiter verificetur, quod natura sit quid commune?

Noto IV. Circa responsionem ad instantias. Quod scilicet, si sumatur Natura ex una parte, & tres personæ simul sumptæ ex altera, tertium prædicatum non sit una persona vel duæ, nam hæc una persona vel duæ, sunt aliud istud extremum, positum in altera parte contradictionis; & sicut, quando verificatur quod filiatio sit producta, Natura non sit producta, recurritur ad tertium non inclusum in comparatione; ita & quando dicitur: quod tres personæ non sint quid commune, Natura verò communis, recurri debet ad tertium non inclusum in personis; & si salvâ fide illud tertium ostendi non potest, hoc ipso falsum est, prædicta verificari à ratione distincti in tertio: recursusque ad unam vel duas personas non satisfacit intento argumenti. Et certè, quando competit Naturæ compositæ ex corpore & anima rationali esse corruptibile, habetur id ratione corruptibilis Unionis; ita deberet ostendi aliquid commune tertium distinctum realiter, cui competat esse quid commune.

Quod inibi discurrit respondens de communitate Naturæ, de hoc nolo discurre; hic enim ea tantum examino, in quibus agitur de articulo fidei: est autem Articulus Fidei: non esse ita communem Naturam tribus personis, ut est commune v. g. Animal homini & bovi.

Rursus Quæsitum argumentum Ratione cuius tertii Natura identificetur filio, non autem Paternitas? responsum est: Ratione Filii & Spiritus Sancti, in quibus videlicet, tanquam in tertio natura discrepat tum à Paternitate tum à Trinitate. Sed hic ego quæro, de identificatione, quomodo scilicet jus identificandi habeatur ratione Filii & Spiritus Sancti, cum hæc non identificentur cum Paternitate; non autem de Discrepantia Personarum. De distinctione Naturæ Divinæ ratione Paternitatis à Filiatione, eaque reali mediata. Infra videbit sermo, quam distinctionem, hic admittit respondens.

Manet ergo insolutum argumentum. Natura potest identificari: nec potest ostendi ratione cuius tertii distincti realiter, verificetur illa identificabilitas.

Restaurantur alia argumenta.

Noto V. Circa responsionem ad quintum: Ly omnipotentem, inquit, non dici contradictorie de Natura & personis; secus autem ly esse distin-

distinctum virtualiter à personis, quod dicitur de Natura & negatur de Personis, hæc sunt verba respondentis. Redit enim argumentum: Ratione sui competit Naturæ esse omnipotentem, ergo & esse improductibilem: quod si conceditur totum, ergo non erit recurrere necesse ad improductam personalitatem, quæ sit distinctum realiter tertium, adeoque falsa erit respondentis assumptio: Ideo verum est, Naturam esse improductam, quia personalitas est improducta. Nec video cur ita irrestrictè negetur: Omnipotentiam non dici contradictorie de Natura & personis, revera enim dicitur contradictorie, sic: Omnipotentia est communis Paternitas non est quid commune, ergo per respondentem debet esse falsum quod omnipotentia non dicitur contradictorie de personis. Immo cum omnipotentia indistinguishatur virtualiter à Natura, sicut Natura dicitur contradictorie de Paternitate, ita identificata illi etiam virtualiter omnipotentia contradictorie dicitur.

Noro VI. Circa responsionem ad sextum. Ad illud, quod dicitur: quod in istis propositionibus: Essentia non generat filius non generat, si aliter significans distinctionem mediam inter essentiam & filium, ad illud, inquam, quod dicitur opponere restabit; quod argumentum non querat de distinctione mediata, sed de hoc; quod scilicet, aliud sit: Filius non generare, & aliud, essentiam non generare; querereque restabit, à quo distincto realiter habeatur essentia non generat; quod enim filius non generet sequitur illius personam; sicut quod Spiritus Sanctus non generet, sequitur ipsius personam, quod autem essentia non generet sequitur Naturam; adeoque, est non generare quoddam, sequens duas personas, aliud non generare sequens Naturam, & de hoc queritur, à quonam distincto realiter tertio habeatur?

Rursus. Si verum est, Naturam prout est in filio non distingui realiter à Natura prout est in Patre. Ergo falsum est distingui eam realiter in tertio, hoc est in Patre, quod contra responsionem & intentum arguentis directe procedit.

Noro VII. Circa responsionem ad septimum: Assumere nos ex una parte, quamvis foret per impossibile, una persona, posse illam uniri non unita Naturæ immediatè; hoc enim non implicat: ex alia parte petitur à respondente principium, ex eo immediatè uniendam etiam Naturam, quia tunc non includeretur ulla distinctio realis, nego enim includi illam debere.

Rursus. Casu quo tres personæ unirentur immediatè, non autem Natura, non posset dici Natura non unita ratione cujuslibet seorsim personæ, defacto enim omnes essent unitæ; quod ergo esset tertium, ratione cujus dicere-

tur non unita? sicut si omnes essent Albi, ratione cujus diceretur illa Collectio non Alborum?

Noro VIII. Non explicuisse respondentem: Cur, si aliter distinguitur Natura à Filio, & Pater à Filio, & cum hæc distinctio Naturæ à Filio habeatur ratione Paternitatis, cur inquam, non habeatur, quod non æqualiter distinguishantur virtualiter Deitas & Paternitas. An autem æqualiter distinguishantur Res & Modus, de hoc in Philosophia; hæc autem premuntur principia fidei. Est quidem verum, quod eadem sit via Thebas Athenis, & Athenas Thebis; quia hæc distinctio in nullo ostendi potest in ipsamet via; hæc autem ostenditur aliter modi distinctionis cur non inferet, quod non æqualiter distinguishantur virtualiter Deitas & Paternitas.

Noro IX. Circa responsionem ad nonum. Argumentum quævisse non de phrasi, sed quævisse de ipsa re.

Rursus. Si respondens dicit se non abicere phrasem à Theologis receptas; commodius fecisset, si illam non formasset propositionem sine ulla restrictione: ideo Natura Divina non producit, quia Paternitas non producit; item si illam propositionem non formasset: Natura divina ratione Paternitatis distinguitur realiter à Filiatione. In Materia de distinctione Distinctionis Virtualis negatum est definitive illam esse æquivalentiam salvativam prædicatorum contradictoriorum. Assumpserat etiam argumentum, quod si per impossibile, ne in sensu quidem reali, discerneret Animal in homine, esset tunc Distinctio Virtualis, qualis in Divinis, & tamen sine ulla distinctione reali in tertio. Ad quod respondetur: fore tunc distinctionem intrinsecam ob verificationem contradictoriorum; ex alia parte non fore; quia alioqui tale animal esset possibile; siquidem possibile est verificari contradictoria physica de distincto virtualiter intrinsecè. Hanc responsionem censerem enucleandam esse; si enim Distinctio Virtualis potest haberi, ob verificationem contradictoriorum, non ostenso ullo distinctio realiter in tertio, quamvis in suppositione impossibili, sed non tollente se ipsam. Ergo falsa est illa major: ideo verificari duo contradictoria, quia est distinctio realis in tertio. Sed quid sibi vult illa positio: fore jam tale Animal possibile, siquidem, inquit, possibile est, verificari contradictoria physica de distinctis virtualiter intrinsecè; quæro enim quomodo ex suppositione impossibili potest inferri rei possibilitas.

Denique si distinctio virtualis est æquivalentia pluribus in ordine ad verificanda contradictoria primo-intentionalia, concedo hoc ipsum esse, suo modo in re distingui realiter in tertio, sed ita, ut in re sit identitas in tertio distinctorum realiter, & ita ut non sit salvativa prædicatorum contradictoriorum illa aliter in tertio.

Argu-

Argumenta ex Articulis Fidei colliguntur.

Uuat in compendium redigere argumenta, quorum, tanquam ex articulis fidei desumptorum, quærebatur solutio, quæ non est allata, immò nec intento argumenti responsum.

Primum ARGUMENTUM ex hoc principio fidei deducitur: Præter improductum personale, de fide est, dari improductum commune omnibus tribus personis. Ergò non ideo natura divina est improducta, quia Paternitas divina est improducta. Recursus ad hoc quod natura divina sit exigitivè improducta, non solvit argumentum; redit enim sic: Præter improductum personale, datur improductum commune omnibus tribus personis exigitivè improductum. Ergò non ideo natura divina est improducta exigitiva, quia Paternitas est improducta; nec potest ostendi, quid sit istud distinctum realiter tertium, ratione cujus competat naturæ esse improductum commune & exigitivum. Recolantur dicta, & penscilate ad singula respondeatur. Ille etiam recursus, quod natura sit capax subiectum ut sit improducta, nullo modo hic tenet.

Secundum ARGUMENTUM ex alio principio fidei. Natura non est distincta realiter, sed commune quid per identitatem Tribus Personis. Ergò non ratione alicujus distincti realiter natura est communis omnibus tribus Personis. Personæ non sunt commune quid, seu quod idem est. Natura est quid commune per identitatem Personæ simul sumptæ, non sunt quid commune per identitatem, nec potest ostendi aliquid tertium distinctum realiter, ratione cujus competat illi esse commune omnibus tribus Personis? quod enim? Ergò falsum est, hoc prædicatum: Natura est communis, contradictoriè oppositum per Respondentem, huic prædicato personalitates non sunt quid commune, salvari ratione alicujus distincti realiter in tertio. Item est de fide: quòd sola Relatio multiplicet Trinitatem, & quòd sola Personæ distinctionem realem in Trinitate imbibant in se, ergò cum non detur aut relativum, aut persona communis omnibus tribus Personis distincta realiter, falsum erit naturam divinam esse communem omnibus tribus Personis, ratione alicujus distincti realiter. Ergò falsum est: Omnem contradictoriam veram, nemine cogitante (ut est prædicta vera) salvari in divinis, ratione distinctionis realis in tertio. Recursus ad duas Personas vel unam non tenet; quia illæ ipsæ sunt alterum extremum, de quo prædicatum contradictorium formatum; non ergò licebit ex altero illo extremo, tertium commune connumerare; cum illud tertium continetur in altero extremo: & sicut quis male ex

duobus numeraret tria, iterato repetendo numerum aliàs positum; ita & male assignabitur una vel duæ personæ, cum una vel duæ personæ, sint inclusæ in altero extremo.

Eò revoca & illud argumentum, quod inquirat, ratione cujus distincti realiter in tertio habeatur hoc, quod natura sit identificabilis, personæ non identificabiles.

Tertium ARGUMENTUM ex hoc principio fidei: Natura non est producta, filiatio est producta, & tamen deberet esse producta, quia si Paternitas habet jus, ut transfundat in naturam rationem improducti, cur filiatio non habebit jus transfundendi rationem productæ. Concedo, quod inter producentem & productum debeat esse distinctio realis, non autem inter improductum & aliud improductum; sed quærere restat, si ex identificatione cum improducto, imbibit natura divina rationem formaliter improducti; cur non imbibet etiam rationem producti; ita ut in filiatione jam non maneat improducta, cum filiatio ipsa sit producta: Cur item si ex identificatione cum improducto salvatur ejus improductio, capacitasque hujus prædicati. Ergò & capacitas hujus prædicati productum, salvabitur per filiationem productam. Præcipue cum natura causalium sit, ut mutato subiecto, seu materia de quocunque teneant; sic v. g. Hæc duo ligna sunt æqualia, quia huic sunt communisurabilia. Ergò & duo sericea vela sunt æqualia, quia huic sunt communisurabilia. Applicad præsens. Ergò etiam si verum est: Ideo natura est improducta, quia identificatur Paternitati improductæ, verum etiam erit commutatis terminis: Ideo naturam esse productam, quia identificatur productæ filiationi.

Quartum ARGUMENTUM est de fide, Deum esse Unum in essentia, Trinum in Personis. Ergò non datur distinctio realis mediata naturæ ratione Personarum. Est de fide, non esse tres Deos, sed Unum; ex quo principio fidei sic restauratur argumentum: Si natura divina distingueretur realiter immediatè, darentur tres Dii immediatè. Ergò & cum detur mediata distinctio, ejusdem naturæ realis in tertio, dabuntur tres Dii mediatè, ratione tertii. Sed de hoc infra.

Quintum ARGUMENTUM Est de fide. Naturam divinam non generare. Ergò non potest dici, quod mediatè ratione filiationis generet.

Quid sentiendum de illa propositione?

Non solum ideo natura divina est improducta, quia identificatur Paternitati, quæ est improducta, sed quia etiam de se est capax istius prædicati: Improducta.

† L

CON-

CONTRA I. Ex argumentis, quæ & in prima parte, & hic posita sunt, & ex confessione ipsius respondentis habitum est, falsam esse sub his terminis & erroneam illam causalem: Ideo naturam Divinam esse improductam, quia Paternitas est improducta; Cum ergo respondens in his terminis talem causalem in suis principiis primò posuerit, falsa illa & erronea erit.

Secundò. Si natura de se est capax prædicati *Improductum*, ita ut id non habeat præcise ratione Paternitatis. Ergo etiam de se erit verificativa istius prædicati: *Improductum*, & non habebit hoc præcise ratione Paternitatis, seu distinctionis realis in tertio.

Tertio. Cum per respondentem, nulla sit immediata alicuius inter naturam & filiationem productam, inferet bene Ethnicus immediate illam esse productam, quidquid sit, an mediate dicatur improducta.

Quartò. Vel admittit Respondens hanc Majorem: Identificata realiter in divinis, quorum unum est absolutum, aliud relativum, possunt sibi non communicare prædicata ad invicem, vel non admittit? Si admittit? Ad quid erit recursus faciendus ad distinctionem realem in tertio. Si non admittit? Ergo poterit non solum identificata Paternitas communicare naturæ prædicatum improductæ, sed etiam poterit & filio communicare naturæ prædicatum productæ.

Quintò. Formentur hæ contradictoriæ: Natura est capax de se identificari producto & improducto. Personalitas non est capax identificari producto & improducto. Prior illa pars vel verificabitur ratione distinctionis realis in tertio? Si ratione distinctionis realis in tertio, Ergo & est capax de se, ut supponitur, & non est de se capax, quia illud non est de se capax; quod de se non verificat, quod de se sit capax. Quærereque restabit, quod sit istud distinctum realiter tertium, ratione cuius habet natura, ut de se sit capax identificationis producto & improducto? Si autem id habetur non ratione distinctionis realis in tertio, etiam aliæ verificationes in simili non habebuntur à distinctione reali in tertio.

Sextò. Rursus posset dicere Filiatio; quare ego sum infelix ita identificor naturæ, sicut & Paternitas; Omnia mihi dedit Pater exceptâ Paternitate; & tamen Paternitas communicat sibi proprium prædicatum improducibilitatis, ego non communico, nec vim hanc habeo producibilitatis communicandæ, etsi natura, in tertio prædicato, quod est filio, distinguitur ratione illius realiter à Paternitate, cur ratione tertii prædicati, quod est

Filiatio, non participabit natura rationem productæ.

Septimò. Accipio istum terminum: Natura de se est capax prædicati: *Improductum*; quare, quis dicti termini sensus est? certè non iste: Natura est de se capax identificari *Improducto*; verè enim, secundum fidem, est capax identificari etiam producto, verbi gratia Filiationi; debet ergo dicti termini iste esse sensus: Natura Divina ex se, independentè ab identificatione alteri virtualitati, involvit in se, prædicatum: *Improducti*. Ergo involvit ex se, independentè ab identificatione, etiam verificativum; nam esse, seu ens, & verum seu verificativum (addo etiam terminum respondentis) verificativum terminativum, non distinguuntur inter se, nisi fortè nobis cogitantibus. Ergo ulterius huius propositionis: Natura Divina est improducta, filio non est producta, non erit verificativum, quia paternitas est improducta: Et sicut natura divina ex eo non est producta in filiatione producta, quia de se non est capax ut sit producta, ita non ex eo erit improducta, quia Paternitas est improducta, sed quia de se est capax, ut sit improducta.

Addo. Positio est Respondentis: Nulla prædicata contradictoria intrinseca verificari in divinis, nisi ratione distinctionis realis saltem in tertio, format nostra sententia has propositiones contradictorias per respondentem: Natura divina de se, exigitivè, non producit, & est quid commune per identitatem omnibus tribus personis, Filiatio divina de se, exigitivè producit, & non est quid commune per identitatem omnibus tribus personis; ad stipulatur nobis fides, nihil dari in Trinitate commune per identitatem omnibus tribus personis distinctum realiter ab iisdem; ad stipulatur & Metaphysica demonstrans: Nullum commune per identitatem, distingui realiter, identitas enim est negatio distinctionis realis: quomodo ergo tenebit illa propositio respondentis? Nulla prædicata contradictoria intrinseca verificari in divinis, nisi ratione distinctionis realis saltem in tertio.

In has omnes tam difficiles sequelas induxit Respondentem hoc principium: quod putet has duas propositiones: Natura v. g. non producit, Filiatio producit, natura non generat, paternitas generat, esse contradictorias. Nonne facilius est, cum pristina antiquitate negare, quod sint hæ propositiones contradictoriæ; eò quod non ratione ejusdem virtualitatis procedant, quam tot difficiles sequelas amplecti.

Quid

*Quid sentiendum de hac
Propositione ?*

Natura divina ratione Paternitatis distinguitur realiter à Filiatione mediata.

CONTRA erit. Tum quia inferuimus in hoc tanquam articulo fidei, idque cum catechismis didicimus: Nullam esse distinctionem personarum in natura, modificandus erit hic articulus: Nullam scilicet distinctionem personarum esse in natura immediate, esse mediatè, modificationes autem articulorum fidei, malè in Theologia audiunt. Tum quia pro eo quali quali usu, quem habui scripto & voce disputandi cum Arianis (viderique potest in illorum libris) satis percepi, illos arguere distinctionem in natura, quia est distinctio in personis; en jam recens hæc Theologia, dabit hoc illis, quod à tota retrò antiquitate Theologica extorquere non poterunt, ostendaturque, quid minus evicturi sint Ariani, si illis concedatur ratione personarum esse mediatam distinctionem realem in natura.

Tum quia inter fontes impugnandi Hæreticos, habet Ecclesia Catholica: Non est hoc doctum à Patribus, non est auditum in Ecclesia: & ubi unquam auditum, non esse summam identitatem personarum in natura divina? quomodo autem erit summa, si est mediata distinctio realis in natura; ubi unquam auditum, distingui personas in natura, distinguuntur autem mediatè. Ubi auditum, distingui realiter naturam divinam à Filiatione ratione Paternitatis:

Tum quia Assumebant Ethnici & Ariani hanc Majorem: Quando aliqua sunt idem realiter, quod competit uni competit & alteri; dicebantque: Cum natura divina sit idem cum personis, si est distinctio realis in personis, erit distinctio realis in natura, & è converso; jam autem Catholici assumebant hunc articulum fidei: Potest esse in divinis distinctio in personis, cum identitate in natura; porro hæc positio: Ratione verbi gratia Paternitatis distinguitur natura divina realiter à Filiatione, seu medietate, innititur illi Majori, cui tanquam in errorem inducenti, si accipiat ut sonat, opposuerunt prædictum articulum Patres: Respondens autem sic de novo distingueret: Potest esse in divinis distinctio, in Personis, sed ita, ut sit mediata distinctio, etiam in natura.

Tum quia, si quis teneret hoc principium: quod potest distingui potest negari;

stante fide, posset negari hæc propositio: Personæ distinguuntur inter se, non in natura, distinguuntur enim mediatè realiter, etiam in natura.

Tum quia hæc propositio: Natura divina distinguitur verbi gratia ratione paternitatis à Filiatione realiter mediatè, si faciat hunc sensum: Paternitas, cui identificatur realiter natura divina, distinguitur realiter à Filiatione, certè propositio continebit sanam doctrinam; phrasis tamen erit dura. Si autem dicta propositio faciat hunc sensum: Ratione Paternitatis, etiam in naturam divinam refunditur distinctio realis, erunt jam contra hanc doctrinam adferenda argumenta immediate posita, & infra ponenda. Porro hunc secundum sensum debere esse in principiis respondentis dictæ propositionis, evincit illa Major: Quando aliqua sunt identificata realiter, quod competit uni, saltem mediatè, debet competere & alteri; unde & ad verificationem prædicorum contradictoriorum in divinis, quæritur à Respondente distinctio realis in tertio.

Tum quia, quæcunque ratio probat non distingui realiter immediate naturam divinam à Filiatione, ea proportionaliter probabit, nec distingui mediatè.

Tum quia, si verbi gratia ratione Paternitatis distingueretur realiter natura divina à Filiatione, sequeretur mediatè esse tres Deos in Trinitate; idque ex eo, primò quia cum tres sint distinctæ realiter personæ, si ex identificatione verbi gratia cum Paternitate sequitur distinctio realis naturæ divinæ à Filiatione, ergò ex identificatione cum tribus personis, sequetur distinctio realis triplex, in ipsa natura divina, licet mediatè.

Secundò. Si esset distinctio realis in natura immediata, connumerata personis, essent tres Dii realiter distincti immediate. Ergò cum detur distinctio realis in natura mediata, connumerata personis, dabuntur tres dii mediatè distincti.

Tertiò. Natura divina ratione Paternitatis, distinguitur mediatè realiter à filiatione, en unum Deum, distinctum realiter mediatè. Natura divina ratione filiationis, distinguitur realiter à Paternitate, en unum Deum distinctum realiter mediatè. Natura divina ratione Spiritus sancti personæ, distinguitur realiter mediatè à Paternitate & Filiatione, en unum Deum distinctum realiter mediatè. Ex uno autem ter repetito, & quidem semper distincto realiter mediatè, non possunt conlurgere, nisi tria realiter mediatè distincta, adeoque tres Dii distincti realiter mediatè.

† L 2

Est

Est quidem verum, quamvis dicam: Pater est DEUS, Filius est DEUS, Spiritus sanctus est DEUS, non sequi tres Deos dari, quia ly DEUS ter positum, supponit pro indistincta realiter Deitate; sed in distinctis realiter mediatè tribus Deitatibus, non potest con-
furgere, nisi distinctio realis mediata in Deitatibus.

Quartò. Cur verbi gratia à Filiatione, distinguatur realiter mediatè, natura divina, est ejus identificatio cum Paternitate; quando autem aliqua sunt idem realiter, quod competit uni identificantur competit & alteri saltem mediatè. Ergò cum tribus distinctis realiter identificatur natura, quod competit tribus illis distinctis realiter competit & naturæ; competit autem illis tribus distinctis realiter, esse tres personas distinctas realiter. Ergò etiam competit naturæ divinæ, esse tres distinctas realiter mediatè naturas.

Quintò. Cum identificatio Paternitati non sit identificatio Filiationi, utpote distinctæ realiter immediate, & è converso; Cumque insuper identificatio spirationi passivæ, non sit idem realiter cum identificatione illis duabus Personis, à quibus spiratio passiva ex distincta realiter immediate. Ergò sicut ex identificatione cum Paternitate, sequitur una distinctio realis mediata naturæ divinæ à Filiatione, ita ex identificatione cum tribus personis distinctis realiter, erit mediatè triplex natura divina distincta realiter mediata.

Sextò. Tenebit illatio Ariana: cum dico: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona, sequitur esse tres personas distinctas realiter immediate. Ergò etiam cum dico: Pater est DEUS Deitate distincta ratione sui mediatè realiter à Filiatione, Filius est DEUS Deitate distincta ratione sui, mediatè realiter à Paternitate, idem dic de spiratione passiva, erunt tres naturæ divinæ, distinctæ realiter mediatè.

Est quidem verum tenuisse Arriagā posse admitti in Trinitate tres Deos relativos; sed nego ex dictis alibi, admitti id posse; tolerabiliorque est hæc positio Arriagæ; quia conceditur in suppositione quod ly Deus supponat non pro natura sed pro persona; sed distinctionem in divina natura realem mediatam non admittit.

Septimò. Accipiamus hos duos terminos: Natura divina ratione identificationis cum Paternitate, distinguitur realiter à Filiatione;

& natura divina ratione identificationis cum filiatione distinguitur realiter à Paternitate; quæro: an illæ naturæ sic sumptæ, identificentur inter se, vel non identificentur. Si identificantur:

CONTRA erit Primò. Ergò non sunt distinctæ realiter mediatè; distinctio enim realis, importat inidentificabilitatem adeoque immediate inidentificabilitatem mediatam.

Secundò. Quodd hæc sententia non tantum (ut intendebat) non facilitabit mysterium Trinitatis, sed obscurabit, ponendo aliquid, non tantum præter lumen rationis, sed & contra lumen rationis; nempe quod distincta, mediatè quidem, sed tamen realiter, identificari inter se possint, in eo, in quo sunt distincta realiter, nempe in ratione naturæ.

Tertiò. Hæc distinctio mediata & stabit in hoc, ut identificari possint illi termini, ut supponitur, & non stabit, quia distincta realiter, in eo, in quo sunt distincta realiter, sunt identificabilia; cum distinctio realis & identificabilitas realis, verbis differant.

Quartò. Si identificantur illi termini, non poterit ostendi, quomodo in ipsam naturam divinam ratione personalitatum refundatur distinctio realis, quam debere refundi, ex principiis oppositorum supra illatum est.

Quintò. Ratione distinctionis immediate realis personarum inter se, sequitur, immediate illas esse inidentificabiles inter se. Ergò cum ratione identificationis quod competit uni immediate, debet & alteri competere mediatè, competit & ratio mediatè distinctæ realiter naturæ triplicis; cum ipsa distincta realiter, immediate sunt tria, nempe tres personæ; adeoque competit & prædicatum inidentificabilitatis mediatæ, aliàs non quidquid competit immediate distinctis realiter, competeret mediatè, ei quod identificatur sic distinctis realiter, mirabaturque orbis Catholicus se factum esse politheistam.

Si autem illi termini: Natura Divina ratione Paternitatis distinguitur realiter à filiatione, &c. Natura divina ratione filiationis distinguitur realiter à Paternitate, non identificatur inter se, sequitur, ex personis refundi in ipsam naturam distinctionem realem mediatam, evincitque hoc major ab oppositis assumpta; quod competit personis, competit naturæ, mediatè, ob identificationem realem cum personis, quibus competit esse plures.

Tum

Tum quia natura Divina vel distinguitur secundum se spectata, realiter in Patre à Paternitate, vel non distinguitur? Si distinguitur, contradicetur articulo fidei de identificatione personarum cum natura; Si non distinguitur realiter natura Divina secundum se spectata in Patre à paternitate. Ergò non est eadem cum natura filii; quia hæc ratione filiationis distinguitur realiter à Paternitate, eruntque illæ naturæ distinctæ realiter, quia impossibile est, unam eandemque entitatem, diverso respectu, hoc est, secundum se sumptam, esse identificatam, & eandem realissimè sub alia formalitate non esse identificatam, sed distinctam realiter.

In communi & recepta Theologia hoc argumentum non habet difficultatem; quia dicere: Ratione filiationis distingui realiter naturam divinam à Paternitate, est dictio de termino non supponendo: Nam licet personæ distinguantur inter se realiter; non tamen illo modo transiunt sua prædicata in naturam, adeoque nec transfundent pluralitatem aut distinctionem realem, quam transfusionem prædicatorum mediatam assumit Respondens. In nostris principiis, beneficio distinctionis virtualis in ordine ad prædicata primò intentionalia Physica, vi cuius sine ulla pluralitate & distinctione reali præstatur hoc, quod præstaret distinctio realis; quæ, si intercederet, non esset necesse prædicata paternitatis, transfundi in naturam.

Tum quia præter naturam, quæ, verbi gratia, ratione paternitatis distinguitur à filiatione, & sic de aliis combinationibus personarum, vel datur natura nemine cogitante, verè absolvens, ab ista mediata distinctione reali à personis, vel non datur? Si datur; ergò datur natura divina nemine cogitante, verè non identificata personis; si enim identificaretur, traheret à personis distinctis realiter, distinctionem mediatam realem; eritque alia, divina natura, nemine cogitante absolvens à distinctione reali mediata, & alia, non absolveas; si autem non datur natura divina, nemine cogitante absolvens à distinctione reali mediata, modificandus erit articulus hic fidei: Deus est Trinus in personis, unus in essentia; quomodo enim erit unus in essentia, si hæc essentia imbibit distinctionem realem mediatam à Personis?

Concedo quidem posuisse Respondentem aliquas phrasas conformes communi Theologia, sed non concordasse easdem cum suis po-

sitionibus. Talis est illa phrasis, Notato sexto. Natura prout est in filio, non distinguitur realiter à natura prout est in Patre; sed concordari hoc debet cum hac alia ejus propositione: Natura divina ratione filiationis, distinguitur realiter à Paternitate. Talis item est phrasis Notato octavo. Aliter distinguitur natura à Filio, & Pater à Filio; quæ propositio est vera, sed concordari debuit cum hac alia: Natura ratione, verbi gratia, Paternitatis distinguitur realiter mediata à Filiatione, salvando sine modificatione articulum fidei: In divinis est distinctio in personis realis, non in natura.

Responsionibus satisfit.

RESPONDETUR Primò. In divinis esse summam identitatem in natura præcisè secundum se spectata, licet natura sumpta cum Paternitate, distinguatur realiter inadæquatè à Filiatione mediata, extensivè.

CONTRA est. Tum quia tota retrò Theologia agnovit summam esse Personarum Divinarum in natura Divina Identitatem, en jam articulus fidei distinguetur: summam scilicet esse identitatem in natura præcisè spectata, non autem summam Personarum Divinarum in natura identitatem si sumatur natura prout conjuncta Personalitati & comparata ad aliam personalitatem.

Tum quia est articulus fidei, quod sit Filius consubstantialis Patri, nec tunc sumitur natura præcisè secundum se, sed natura prout conjuncta filiationi, Filius enim dicitur esse consubstantialis Patri. Ergò hic articulus, agnoscit, non esse identitatem in Divinis in natura, tantum secundum se præcisè spectata, sed etiam in natura prout conjuncta Filio, & comparata ad Patrem. Item est articulus Fidei quod in Trinitate sit summa identitas in natura salvis suis prædicatis, si est summa identitas Trinitatis in natura, ergò non tantum est identitas in natura præcisè spectata, sed etiam in natura prout conjuncta personalitatibus, seu in Trinitate, ergò non dabitur locus distinctioni

† L 3 ctioni

ctioni naturæ divinæ conjunctæ Paternitati, à Filiatione.

Tum quia. Si nefas est dicere, quòd prædicata notionaria sua virtualitates, denominationes, formalitates communicent; vel derivent in naturam mediata, extensivè, inadæquatè, cum distingui realiter, sit prædicatum rationale, illud nec mediata nec extensivè derivabitur in naturam. Tum quia Pristina Societatis schola putabat eliminandam esse è scholis distinctionem formalem ex natura rei, quæ ponebatur à Scotistis in divinis, & tanquam pro absurdo inferebat: quòd hæc distinctio sit distinctio realis: modò autem hoc absurdum conceditur, & pro veritate defenditur, & ne quidem schola Scotistica concedebat usquam hanc sequelam, dicebatque ibi non esse distinctionem realem à Re, qualem isti concedunt mediata & extensivè; sed realem à realiter, hoc est prout opponitur distinctioni fictæ vel intentionalimerè.

Tum quia Natura illa divina præcisè secundum se spectata, & seclusis Personalitatibus, cum quibus est idem realiter nemine cogitante, non est aliud, quam natura ita sumpta ac sumitur natura, verbi gratia, humana præcisè suis Personalitatibus & hæccitatibus, & tamen majorem personarum in natura identitatem agnoscit fides quàm sit identitas Pauli & Petri in natura humana præcisè sumpta, illa enim identitas debet esse Physica, hæc autem est identitas intentionalis.

Tum quia Hæc natura præcisè sumpta, si detur nemine cogitante vel est eadem realiter cum natura conjuncta, verbi gratia, Paternitati vel non eadem; si non est eadem realiter & nemine cogitante, hoc ipso multiplicabuntur naturæ divinæ; si autem est eadem realiter & nemine cogitante, sicut in illa præcisè sumpta non datur distinctio, ita nec in illa comparata ad Filiationem, conjuncta autem Paternitati, dabitur ulla distinctio supple realis inadæquata, extensiva, mediata.

RESPONDETUR. II. Posse hanc distinctionem admitti ratione personarum, cum etiam admittatur in Hymnis Ecclesiasticis Trina Deitas.

CONTRA est. Tum quia imprimis ex Sedulii Hymno de communi Martyr. ubi habebatur: Te Trina Deitas unaque poscimus, expunxerunt id Correctores Hymnorum, substitueruntque vocem: Te summa Deitas, quod etiam antefecerat Hincmarus, ut videre est libro de non trina Deitate consequenter ille terminus Trina Deitas secundum hanc correctionem etiam alibi sumi debet, positusque

est ratione nonnisi metri, & non tam significando quam ex aliis aliàs notis præsupponendo quòd Trina pro Personis nonnisi supponat, non autem pro natura.

Tum quia si ratione istius distinctionis realis inadæquata naturæ conjuncta uni Personalitati, ab alia Personalitate concedi potest Trina Deitas, concedi etiam poterunt tres Deitates, imò & tres Dii, nam inter Deitatem & Deum distinguere error est Gilberti.

Tum quia dicatur clarè, an Ly Trina extendatur etiam ad naturam? si non extenditur cui bono responsio hæc ponetur? si extenditur etiam ad naturam hoc erit contra articulum de una eademque in Divinis natura Divina.

RESPONDETUR. III. Quòd pristina sit distinctio dari in Divinis distinctionem realem inadæquatam.

CONTRA est. Sicut quando dicitur pars distingui realiter inadæquatè à toto datur illic distinctio realis adæquata inter partes, ita tamen ut pars à se ipsa in toto, ne quidem realiter mediata distinguatur: ita in Divinis datur distinctio realis adæquata inter Paternitatem & Filiationem, licet in natura, nulla sit omnino distinctio realis etiam inadæquata, & mediata.

Et sicut hoc totum quod est homo, est ratione dissolubilis unionis mortale, quantumvis anima & materia, nequidem mediata & inadæquatè, sit mortalis: Ita hoc concretum quod est Pater, distinguetur realiter à Filiatione, ita, ut tamen natura Patris, ne quidem inadæquatè & mediata, distinguatur realiter, à Filiatione.

RESPONDETUR. IV. Non esse tantam identitatem naturæ Divinæ cum Paternitate, quanta est identitas illiusmet ipsius ad se ipsam.

CONTRA. Concedo non esse tantam identitatem, nam in principiis nostris, ita identificatur realiter natura Divina Personalitati Patris, ut ab illa distinguatur virtualiter, cum tamen à se ipsa, sit indistincta virtualiter; sed nego exinde sequi, quòd quantumvis natura Divina magis sibi identificetur intensivè quàm Paternitati, quòd in illam realiter inadæquatè, extensivè mediate deriveretur realis distinctio.

RESPONDETUR. V. Quod concretum hoc Pater plus dicat quàm solam naturam Divinam, sed dicit etiam Paternitatem adeoque aliquid distinctum realiter.

CONTRA est. Tum quia concretum hoc Pater dicit quidem & naturam & Paternitatem, sed quia hoc

quia hoc concretum, est concretum ex indistinctibili realiter secundum articulum Fidei, & ex distincto realiter, hoc ipso in illo concreto, non distingueretur realiter Natura, à Filiatione.

T. Q. Distingui realiter est Prædicatum vel notionale adeoque nec in concreto illo, in Naturam derivabile.

T. Q. Concretum hoc homo, ut dixi, dicit aliquid plus præter animam & materiam nempe unionem dissolubilem & tamen ex eo non derivatur in animam mediata mortalitas, ergo nec ex paternitate derivabitur in Naturam Divinam distinctio realis mediata.

Punctum Difficultatis 4.

Demonstratur, non posse dari Distinctionem virtuales in Creatis.

Consentimus non posse dari Distinctionem virtuales in creatis talem, qualis datur in Divinis inter Naturam & paternitatem v. g. quia etiam consentimus, non posse dari Mystrium Trinitatis in creatis. Tota Difficultas in eo versatur, an id possit demonstrari. Cumque virtualis distinctio sine addito supponat pro ea, quam alii appellant intrinsecam, Nos appellamus distinctionem in ordine ad prædicata, primo intentionalia, de illa sic sumpta, tanquam de principali, veniente sub nomine distinctionis virtualis, procedet Difficultas.

Ad solutionem rationum infra ponendarum hoc assumitur: Nempe has rationes non debere peti ex impossibilitate distinctionis virtualis, sed ex impossibilitate huiusmodi distinctionis in creatis. Ratio est imprimis à simili. Quia si quis velit demonstrare esse impossibilem substantiam creatam infinitam, non debet id probare argumentis inferentibus impossibilitatem ut sic substantiæ infinitæ; qui item vellet probare creaturam, non posse esse immensam, non deberet id probare ex rationibus, impossibilitatem ut sic immensitatis inferentibus: & sic de reliquis. Ergo etiam in præsentī impossibilitas distinctionis virtualis in creatis non debet desumi ex impossibilitate ut sic distinctionis virtualis. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur: quia quæ prædicata semel innexibilia sunt, semper innexibilia sunt, impossibileq; additione subiecti, cui illa prædicata competunt, possibilisari non potest: jam enim non esset quod esset; siquidem ex impossibili redderetur possibile, jungerenturque secum esse & non esse idem: consequenter, si quis aliquorum prædicatorum impossibilitatem ostendat, illa nec in Deo possible erunt; sicut si quis ostendat impossibilitatem substantiæ infinitæ, illa nec in Deo salvabitur; & in præsentī si quis ostendat impossibili-

tatem distinctionis virtualis, hoc ipso illa nec in Deo reperiri poterit.

Hoc præjacto, delabamur ad examinandas rationes.

I. RATIO P. Pauli Modzelovskii. Si aliquæ formalitates distinguerentur virtualiter, eo ipso non identificaretur realiter. Quod ipsum probat: quibus formalitatibus competunt prædicata contradictoria, illæ non identificantur realiter; sed formalitatibus virtualiter distinctis competunt prædicata contradictoria, ut conceditur: Ergo non identificantur realiter. Major probatur. Tum quia omnia prædicata contradictoria sibi realiter actualiter repugnant, lumenque rationis ostendit falsas esse has propositiones. Lux, est realiter actualiter non lux. Tum quia quando unus de rationalitate affirmat illam esse à parte rei, principium sensationum, & alter sub iisdem terminis negat, quæro an hi duo, dicant idem realiter: si idem, ergo sibi non contradicunt: si non dicunt idem realiter, ergo esse à parte rei principium sensationum, & non esse à parte rei principium sensationum non est idem realiter: ergo & alia omnia prædicata distinguuntur realiter. Tum quia oppositio relationis realis distinguit inter se realiter extrema inter quæ intercedit: ergo etiam oppositio contradictionis, sua extrema distinguet realiter.

RESPONDETUR. Imprimis transeat hoc totum: quia non probatur intentum: nam argumenta procedere debebant de distinctione virtuali intrinseca in creatis. Hinc rursus dici potest, Argumentum probare multum: nam probat distinctionem virtuales non dari in Divinis: nam etiam in Divinis impossibile est ut esse & non esse sint idem. Quod si dicas aliud esse in Divinis, quia illic intercedit distinctio virtualis: nam etiā dicent oppositi, etiā in creatis intercedere illam, & quod non intercedat probari debuisset. Unde jam directè quæri potest, vel in Divinis supposita distinctione virtuali identificantur inter se, est & non est, vel non identificantur: si identificantur, quid probabunt rationes adlatæ? restabitque probandum, cur in creatis identificari non possint: si non identificantur in Divinis nec in creatis identificabuntur.

In nostris Principiis dici potest. Cum contradictio non tantum debeat esse ejusdem & de eodem, sed ratione ejusdem, sive, ut alibi dicitur, proportionata: cumq; supposita distinctione virtuali communicatur & non communicatur, ceteroqui prædicata secundum hos terminos contradictoria, cum inquam non sint verificanda ratione ejusdem, supple virtualitatis, evadent hoc ipso non contradictoria; adeoque etiam in creatis evaderent, si alioqui daretur in illis distinctio virtualis, quam non demonstras, dari non posse.

† L 4 RATIO

RATIO II. ejusdem est. Posita distinctione virtuali intrinseca inter aliqua duo prædicata, sequitur, posse affirmari contradictoria non solum de illis inter quæ est ista distinctio, sed etiam de illis quæ à se virtualiter non distinguuntur. Sequela probatur; supponamus inter animal & rationale esse distinctionem virtutalem intrinsecam, atq; vi istius distinctionis animalitatem verificare hoc prædicatum, est repræsentata realiter ex parte objecti cognitione A. rationalitatem autem verificare contradictorium ejusdem prædicati, nempe non est repræsentata realiter ex parte objecti cognitione A. per cognitionem A. illam significando, quæ objectivè præscindit rationale ab animali: Hoc supposito. Sic argumentor, inter animalitatem & inter hoc prædicatum esse repræsentatum ex parte objecti cognitione A. non intercedit distinctio virtualis intrinseca; sed de his formalitatibus possunt verificari contradictoria. Ergo. Major probatur, quia repræsentatum ex parte objecti cognitione A. est formalissimè animalitas ac proinde prædicatum & subjectum istius propositionis non distinguuntur virtualiter intrinsecè. Min. principalis probatur; Animalitas est verè affirmabilis de rationalitate: cum enim inter se identificentur realiter, vera est ista propositio, animalitas est realiter rationalitas. Jam verò ly repræsentata ex parte objecti cognitione A. non est verè affirmabilis de rationalitate: Falsa enim est ista propositio, rationalitas est realiter repræsentata ex parte objecti cognitione A. scil. illa quæ præscindit objectivè animal à rationali. Ergo animalitati, & formalitati repræsentatæ ex parte objecti, cognitione A. competunt contradictoria.

RESPONDETUR Imprimis, quod Argumentum multum probet: probaret enim competere in divinis prædicata contradictoria iis formalitatibus, quæ inter se non distinguuntur virtualiter, nempe essentia, & illi prout repræsentatæ cognitione A. reflectensque videbit multum hoc argumento probari: quia probatio non petitur ex conditione præcisæ objecti quæ creati.

Deinde negari potest Sequela. Negatur item quod de rationalitate non possit dici rationalitas est realiter repræsentata ex parte objecti prout est à parte rei physicè, licet non sit repræsentata ex parte objecti prout considerata in statu intentionali. Si autem realiter repræsentatur rationalitas prout est à parte rei physicè, non conveniunt tunc prædicata contradictoria intrinseca seu physica, sed tantum prædicata contradictoria (secundum explicationem jam datam) intentionalia: Si autem conveniunt tantum prædicata contradictoria intentionalia, non erit verum dicere quod sint futura distincta virtualiter, ea quæ non sunt distincta virtualiter.

Quod autem attinet ad istud objectum, animalitas & esse repræsentatum præscindant inter se objectivè, dici potest in nostris principiis, omne illud præscindere objectivè, cujus ratio communis, non est aliud ratio communis, seu definitivè; & quia nec animal definitur per esse præcisum, nec è converso: ideo hæc inter se præscindunt beneficio distinctionis virtualis in ordine ad prædicata secundo intentionalia; licet realiter sumptum repræsentatum, hoc est ipsum animal, non sit præscindibile à seipso animali, sed etiam sic sumptum repræsentatum animal, est idem realiter cum rationalitate.

In suppositione autem præsentī loquendo, si animalitas & rationalitas distinguerentur virtualiter intrinsecè, sicut dum repræsentatur essentia Divina, non repræsentatur realiter virtualitas v. g. Paternitatis, ita nec repræsentatur realiter virtualitas rationalitatis repræsentata animalitate. Quod autem cognitio A. repræsentat Essentiam (in præsentī animalitatem) & non repræsentat Paternitatem (in præsentī rationalitatem) parum refert: quia cum cognitio sit distincta realiter ab ipsamet essentia, potest illa referre seu repræsentare Essentiam, non repræsentata Paternitate. Jam autem distincta virtualiter intrinsecè debent quidem habere identitatem realem in istis, quæ aliunde non supponuntur distincta realiter, ut cognitio A. repræsentans essentiam, distinguitur realiter ab essentia. Hinc jam in hoc quod est comparari essentiam ad seipsam repræsentatam duo considerari possunt, ratio scilicet essentia, quæ repræsentatur, & hæc indubie identificatur sibi, sed & identificatur Personalitati salva sua virtualitate; Deinde spectari potest ratio repræsentationis, quæ importatur in hoc, denominato repræsentata essentia, & hæc repræsentatio, distinguitur realiter ab essentia, mirumque non erit, illam non convenire ipsi v. g. personalitati, cum convenire debeant in prædicatis identificationis realis. Quæ autem dicta sunt de divinis aut dicuntur legitime ab arguente de natura cognita, v. g. & comparata ad Paternitatem idem applica in præsentī.

RATIO III. ejusdem est. Ens creatum cui competit distinctio virtualis intrinseca est ens chimericum: omne enim illud est ens chimericum, quod has duas formalitates in se includit verificabilitatem duorum contradictoriorum & identitatem realem: hæc enim solæ duæ formalitates ita sunt constitutivæ entis chimerici in esse talis, ut nihil tertium requiratur: ponamus enim aliquod ens de quo verum sit dicere: est, & non est, & in quo hæc duo, scilicet esse & non esse realiter identificantur, eo ipso habebit totam essentiam entis chimerici.

RESPOND. Antecedens primum, planè intendit hoc probare quod hic quaeritur, sed ejus probatio

probatio multum probat: quia proceditur sic, adeoque probat etiam in Divinis non dari distinctionem virtualem: quia illic esset chimæra: esset enim convenientia prædicatorum contradictoriorum cum identitate. Directè autem dici potest, quòd sicut in Divinis non est convenientia prædicatorum contradictoriorum formalis, quia ratione alius virtualitatis affirmatur Est, ratione alius Non est: ita & in præsentī fieret, solumque staret hæc distinctio virtualis in hoc, quia quod convenit uni virtualitati, non competeret alteri, etiam in sensu reali; salvo Physico eodem esse, sicut in sensu reali non communicatur Paternitas, quamvis sit idem Physicè cum natura, quæ communicatur.

Alia quæ adfert de forma syllogistica infruenda, alibi soluta. Quod item dicit ponendum fore tunc in creatis Mysterium Trinitatis id verum est: sed queritur demonstratio, quòd Mysterium Trinitatis implicet in creatis:

Punctum Difficultatis 5.

Continuatur hoc Examen.

RATIO I. est Perez Disp. 1. sub initium Tract. de Deo, num. 77. Impossibile est duas formalitates creatas careere identitate virtuali intrinseca inter se, & habere inter se identitatem realem perfectam: sint enim entitates creatæ A. B. quia utraque est creata, utraque dicit in sua ratione defectum, consequenter B erit idem virtualiter cum sua entitate, dicente imperfectionem. Hæc identitas virtualis est defectus evidenter & hunc defectum habet A (supple scilicet quod sit A) hanc identitatem non habet B cum A ut supponitur, sed potius habet perfectionem simpliciter simplicem oppositam scilicet entitatem propriam, identificatam secum virtualiter intrinsece, non involventem in sua ratione defectum A hanc perfectionem non potest B communicare ipsi A ut est manifestum: fieri enim nulla ratione potest ut A non involvat in sua ratione id, quòd est de ratione ipsius A. Quia ergo ad identitatem realem perfectam requiritur communicare perfectionibus simpliciter simplicibus quæ identificantur ex natura rei, patet impossibile esse, ut A sit idem perfecte cum B sit ut supponitur non sit idem virtualiter intrinsece. Ne verò prædicta Ratio probaret etiam in Divinis implicare Mysterium Trinitatis dicit n. 79. assumi à se hanc propositionem pro Majori. Nullæ formalitates dicentes in sua ratione imperfectionem propriam, & non identificatæ virtualiter intrinsece, possunt inter se communicare in omni gradu perfectionis simpliciter simplicis, ac proinde neque possunt esse idem inter se identitate reali perfecta: omnes creatæ formalitates non identificatæ virtualiter intrinsece inter se sunt tales, quales Major

proponit. Ergo. Quod si idem velles applicare ad Divina, deberes Negativam Minorem adferre, essetque Argumentum constans omnibus Negativis.

RESPONDETUR. Negando. Antec. Primum. Quod attinet ad hanc propositionem, sint entitates creatæ A. B. quia utraq; esset creata, utraq; diceret in sua ratione defectum conceditur hæc propositio modo per entitates intelligantur virtualitates diversæ, non autem distincta simpliciter entia: distincta enim simpliciter entia identificari non possunt: sicut non possunt identificari lignum & aqua: diversæ tamen entitates pro virtualitatibus acceptæ, identificari possunt. Concedo quòd entitas B sit idem virtualiter cum sua entitate dicente imperfectionem. Concedo quòd major sit identitas virtualitatis B. cum sua defectuositate quàm virtualitatis B. cum virtualitate A idq; ideo quia B à sua defectuositate non est distinctum virtualiter, est autem ut supponitur distinctum ab A. Et licet casu quo daretur distinctio virtualis in creatis, non haberet A & B identitatem virtualem nec defectuositas virtualitatis hujus esset defectuositas virtualitatis illius: Nego tamen quòd secum realiter, sicut & virtualiter, ita & defectuositates, identificari non possent. Et licet identitas illarum physica, & quoad realitatem esset perfectio simpliciter simplex, esset tamen perfectio creata, adeoque compariens identificationem illarum defectuositatum, in virtualitatibus inclusatum. Unde ulterius dici potest quòd Nullæ formalitates dicentes in sua ratione imperfectionem propriam possint inter se communicare in omni gradu perfectionis simpliciter simplicis: Si enim in omni gradu est perfectio, quomodo erit imperfectio: sed querere restat, cur creatæ virtualitates, dicentes suas defectuositates, identificari non possint in aliquo gradu perfectionis simpliciter simplicis: competentis enti creato, adeoque cur repugnet in creatis distinctio virtualis intrinseca. Unde ulterius negatur illa Major Assumpta in ultimo argumento, nempe illa, nullæ Virtualitates dicentes imperfectionem &c. identificari possunt.

RATIO II. ejusdem I. P. Disp. 1. de Scientia Dei num. 131. Essentia Divina ob infinitam suam perfectionem, vim habet se communicandi infinite; alteri formalitati virtualiter distinctæ, illamq; reddendi Deum, ac proinde infinite in omni genere perfectam, est ergo ea communicatio summa in omni genere. At hæc est identitas summa; quæ ratio non potest in creatis formari: est enim quævis formalitas creata finita in perfectione, adeoque non potest reddere aliam formalitatem, sibi virtualiter intrinsece non identificatam, perfectam infinite, sed finitè. Præterea quamvis illam alteram redderet in proprio genere perfectam, sequitur reddere minus perfectam quàm seipsam: licet enim cætera

fine

sint paria, sibi ipsi ita communicatur ut sit secum virtualiter intrinsecè idem, nec ponantur prædicata contradictoria inter se & seipsa: at omne finitum si ei addas aliquid perfectionis crescit, ut ajunt, intensivè: crescit ergò illa communicatio, qua sibi se communicat illa formalitas, & est major quàm altera communicatio, quàm alteri formalitati communicatur. Quæ ratio nullo modo valet in infinita communicatione in omni genere: infinitum enim in omni genere nulla additione intensivè crescit. Quare quamvis essentia Divina sibi se communicet virtualiter, non verò Paternitati, hic accessus erit quasi extensivus, nec intensivè communicatio erit major.

RESPONDETUR. Infinitatem materialiter non nisi habere se ad distinctionem virtualem: Pone enim Divinam essentiam infinitam, & pone implicare in Divinis distinctionem virtualem: jam non poterit communicari Natura, & non communicari Paternitas: Ergò apparet quod id non ex infinitate præcisè oriatur. Deinde ex responsione & sequitur non tolli identitatem realem vi distinctionis virtualis in divinis & tolli: non tolli quidem, quia est communicatio infinita, & non excrefcit intensivè, tolleretur autem identitas realis, quia ita natura identificatur sibi, ut ne virtualiter quidem à se distinguatur, secus identificatur Paternitati. Deniq; quare implicat contradictionem perfectionem creatam esse identificatam alteri realiter, & reddere aliam finito modo, ut ipsa est, talem; & cur cum summa identitate reali, formalitatum, virtualis alietatis, non possit fieri, ut magis sibi se communicet aliquid creatum, quàm se communicet identificato sibi, ut in simili fit in divinis.

Adde, quòd infinitum additione finiti non crescat in ratione formali, crescit tamen in ratione materiali: quo supposito, non video quid proficiat illa infinitas ad præsentem difficultatem. Et certè vera est hæc propositio in Divinis: Natura non dicit negationem alietatis virtualis à Paternitate, Paternitas dicit negationem alietatis virtualis à seipsa. Rursus magis est idem quod dicit omnem negationem alietatis, quam illud quod non dicit omnem negationem alietatis, nec istud videtur extinguì posse per titulum infinitatis. Quod si dicas majorem esse non intensivè identitatem sed extensivè; dicam & ego majorem esse identitatem in ordine virtuali, sed non in reali.

In quantum autem hæc Ratio respicit, quòd illa solum inter se identificari possint realiter & non virtualiter, quæ sunt perfectio simpliciter simplex, nomine ipsius perfectionis simpliciter simplicis accipiendo perfectionem includentem in se omnem aliam perfectionem, etiam hæc Ratio non convincet. Nam imprimis negamus hunc conceptum esse perfectionis simpliciter simplicis. Rursus quamvis hic foret con-

ceptus illius, sequeretur quidem perfectionem simpliciter simplicem nulli competere nisi soli Deo, querere tamen restaret, cur ea quæ non dicunt istam perfectionem simpliciter simplicem ita acceptam, identificari inter se non possint realiter, stante alietate virtuali.

RATIO III. Ejusdem de Trinit. d. 1. c. 2. quia scilicet si daretur in creatis Mysterium Trinitatis tum si duæ formalitates creatæ reciperent prædicata contradictoria, perfectæ identitate carent. Quod ipsum probatur, quia fieri non poterit ut sit perfectæ unitas & communicatio inter ejusmodi formalitates, quas v. g. A. B. appellemus: nam formalitas A non potest magis communicari formalitati B majoremque cum illa unionem habere, quam est una sibi, & suæ definitioni: hoc enim est lumine naturæ perspicuum. Sed formalitas A præter unitatem quam habet cum formalitate B habet aliam peculiarem suam, ratione cujus non potest in se suscipere prædicata contradictoria: præterea formalitas A, ita sibi se habet conjunctam, ut nihil de ipsa dici possit, quod de ipsa negare possimus; quam conjunctionem ex hypothesi, non habet cum formalitate B. Ergò suam habet quasi duplicatam unitatem, & cum formalitate B quasi simplicem: habet enim cum formalitate B unitatem communicationis, & non aliam; secum verò habet & unitatem communicationis non minorem, & præterea unitatem repugnantiam ad prædicata contradictoria. Major igitur est unitas & perfectio qua secum est una, quàm unitas quæ cum alia est una. Quæ consequentia probatur, nam unitas quæ habet cum altera est finita: impossibile enim est formalitatem finitam infinite communicari, & unitas & communicatio finita qualibet additione unitatis & indivisionis fit major: cum igitur unitas quæ formalitas A secum est una addat aliquem gradum unitatis unitati finitæ, quæ est cum formalitate B major erit & perfectior.

RESPONDETUR. Huic Argumento quod dato Mysterio Trinitatis in creatis formalitates creatæ, non carerent perfectæ identitate Physica & reali, carerent tamen perfectæ identitate, exclusiva etiam virtualis alietatis, dicique posset quòd non implicet contradictionem in creatis aliqua habere perfectam identitatem Physicam & realem, quamvis non haberent identitatem perfectam exclusivam virtualis alietatis: quod ipsum fuisset probandum. Deinde dici potest, majorem esse unitatem virtualitatis A secum, quàm cum B. sed querere restat tali virtualitatum majori vel minori unitate positâ, cur implicet illarum identificatio realis: sicut major est identitas Paternitatis secum, quàm cum Natura: nam à se non distinguitur virtualiter, distinguitur à natura, & tamen hoc non obstante identificantur secum realiter: ita & in præsentia.

RATIO

RATIO IV. potest esse. Virtualitas A. habet suam perfectionem, quam non habet virtualitas B. & casu quo secum identificentur, tunc unaquæq; esset seipsa perfectior: quia ex identificatione haberet etiam perfectionem virtualitatis alius, quam non habet secundum se spectata: Ergo unaquæq; esset perfectior seipsa; quod implicat.

RESPONDETUR. Si quis non ponat personalitates dicere perfectiones, diceret etiam quod in Creatis, eo ipso, illæ virtualitates creatæ, non dicant perfectionem, & quia Nos etiam in personalitatibus Divinis ponimus perfectiones, debemus consequenter dicere, quod etiam illæ virtualitates essent perfectiones, neque tamen ratione identificationis cū altera redderetur unaquæq; virtualitas perfectior seipsa: quia identificatio illa non auferret virtualitates, vi cuius virtualitas huius, non est virtualitas alius: ita nec perfectio huius, esset perfectio alius, adeoque titulo identificationis non perficeretur virtualiter ab alia virtualitate, adeoque nec evaderet perfectior seipsa. Deinde retorquendum est argumentum in materia de divinis identificationibus, nam etiam in divinis, Natura Divina formaliter seipsa, non continet perfectionem trium personarum ex identificatione cum illis, redditurne formaliter perfectior seipsa.

INSTABIS I. Si ponantur virtualitates hæ distinctæ inter se realiter, ut personalitates Divinæ, & identificata in aliquo tertio, benè concipi potest, quomodo una perfectionem suam non tribuat alteri, adeoque nec evadat perfectior seipsa. Sed qui non erit perfectior seipsa, si identificentur illæ virtualitates, nec tamen inter se essent distinctæ realiter.

RESPONDETUR. Eo casu videri implicari contradictionem illarum virtualitatum identificationem: hoc enim ipso evaderet unaquæq; perfectior seipsa, & non evaderet: non evaderet quidem ut supponitur; evaderet autem, quia accessu illius virtualitatis secum identificata, perficeretur, & tamen illa, ut tu dicis, in seipsa spectata non diceret illam perfectionem alius virtualitatis. Absolutè tamen loquendo ex proportionem ad Mysterium Trinitatis quod etiam si non poneretur identificatio in aliquo tertio adhuc illæ virtualitates possent inter se identificari, nec evadere perfectior seipsa: nam non comparando Paternitatem divinam ad Filiationem; sed ad Naturam, sunt duæ virtualitates, unaquæque habet suam perfectionem, identificantur secum, nunquid ne vel Persona, vel Natura ex eo evadat perfectior seipsa.

INSTABIS II. Quod non evadat perfectior Personalitas & Natura, ex eo est, quia illic est infinita perfectio: unum autem infinitum non est majus altero adeoque nec ab altero infinito perficitur.

RESPONDETUR. Verum quidem est, quod

unum infinitum non sit majus altero in eo quod est carere terminis; quod tamen non perficiatur unum infinitum ab altero hoc non demonstratur: cur enim infinitum novem, non perficietur accessu infinitarum unitatum, adeoque evadendo decem. Deinde quamvis ex eo supponatur Natura Divina ex identificatione cum Paternitate non perfici, sed cur non perficietur ipsa Paternitas, quæ secundum se, non dicit perfectionem infinitam: & tamen non potest dici, quod perficiatur: quia evaderet dignior seipsa, & perfectior.

INSTABIS III. Licet Paternitas ex titulo Personalitatis, non dicat perfectionem infinitam, dicit tamen titulo Paternitatis Divinæ distinctæ ab ipsa virtualitate Naturæ, adeoque dicit rationem non perfectibilis ulterius: talem autem infinitatem non salvat virtualitas illa creata. Ergo ex identificatione cum altera virtualitate evadet seipsa perfectior.

RESPONDETUR. Posito quod Paternitas Divina secundum quod Divina, dicat infinitatem, non eximetur per hoc præcisè à ratione perfectibilis: nam ut dictum, infinitum, licet non sit majus altero, nunquid tamen non perficitur accessu alius infiniti. Quod si dicas perfici materialiter; redibit difficultas, cur etiam materialiter non perficiatur Paternitas, adeoque nec evadat materialiter dignior seipsa. Recurri ergo potius ad hoc debet, quia stante identificatione ut dictum retinentur adhuc virtualitates distinctæ, adeoque retinet unaquæq; perfectionem distinctam, consequenter stante identificatione reali, non communicat alteri suam virtualitatem, adeoque nec perficiente illam: Si autem una virtualitas non perficit alteram, non sequetur illas evadere perfectiores seipsis. Est quidem verum, quod hoc superet captum humanum sicut superat captum humanum etiam Mysterium Trinitatis; sed jam si illud concedatur in creatis etiam hæc superantia captum concederentur in creatis. Quærere tamen restat, An hæc superantia captum forent contradictoria, sicut prædicta superant captum in Divinis, nec tamen sunt contradictoria.

Est & alius Modus toti huic difficultati satisfaciendi. Quod scilicet una virtualitas alteri identificata non esset perfectior seipsa & virtualiter & realiter simpliciter spectata; esset tamen perfectior seipsa virtualiter v. g. non nisi spectata, & non spectata simul Physice.

RATIO V. est. Si daretur distinctio virtualis in creatis daretur infinita essentia creata, hæc implicat. Sequela probatur, quia quod datur distinctio virtualis in Divinis, id ex eo arguitur, quia Deus cū sit infinitus in essentia, debet illi competere omnis possibilis perfectio; possibilis autem est perfectio distinctionis virtualis in Divinis: quia nulla est in illa contradictio in Divinis.

RESPON-

RESPONDETUR. Distinctæ sunt hæc propositiones. Ex eo quòd Deus sit infinitus in essentia, sequitur debere etiam dari in illo distinctionem virtualem. Alia autem est hæc propositio, ex asserta distinctione virtuali sequitur infinitudo essentiae, & hoc ipsum est, cuius demonstratio, hic petitur. Unde primo concesso, quod solum vult argumentum, negatur hoc posterius.

Putarem ergò potius nullam huius adferri posse demonstrativam rationem: quia si hoc demonstraretur cur in creatis, idq; titulo creati, non possit dari Trinitas, demonstraretur titulo increati non repugnare eandem: adeoque & dari; quia in Divinis quoad intrinseca à posse ad esse, valet argumentatio, & tamen supponitur non posse demonstrari Mysterium Trinitatis. Quod ipsum ulterius sic declaratur. Sit enim perfectio A. ex cuius defectu in creatis, oritur ne sit Mysterium Trinitatis, demonstrat Metaphysica omnem possibilem perfectionem haberi in Deo, inferes ergò tu, hanc perfectionem esse in Deo, adeoque inferes idq; demonstrativè, dari Mysterium Trinitatis, & tamen vel tu ipse negas, quòd hoc Mysterium in Divinis demonstrari possit. Et sicut si quis demonstraret, qualitatem aliquam non competere huic substantiæ quia corporea est, hoc ipso demonstraret, competere illam spiritali substantiæ, nam demonstrabile est, omnem qualitatem competere aut substantiæ corporeæ aut spiritali, ita si quis demonstrat non competere Mysterium Trinitatis. Creatis quia creata sunt, demonstrat illud competere Divinis, quia omnis perfectio, aut creato aut increato enti competit, & tamen supponimus quòd Mysterium Trinitatis demonstrari non possit.

DIFFICULTAS II.

De Præcisionibus objectivis in Divinis.

PRÆCISIO secundum Auctores Alia est ex parte actus seu formalis, alia ex parte objecti seu objectiva: *Objectiva præcisio dicitur*, ex vi cuius intellectus attingit formalitatem aliquam, quin eadem cognitione, attingat aliam formalitatem, illi identificatam realiter. Verbi gratia, quando intellectus attingit formalitatem animalis, & non attingit ullo modo formalitatem rationalis identificatam realiter in homine, tunc censetur esse præcisio objectiva, ubi ut vides, non in hoc stat præcisio, quòd unum cognoscatur sine alio, potest enim cognosci Petrus & non cognosci Iulium neq; tamen dicitur fieri præcisio Petri, à Iulio. *Formalis præcisio ex parte actus est*, vi cuius attinguntur immediatè & per se omnes formalitates, quæ identificantur sibi, di-

citur tamen cognosci verbi gratia animal in homine & non rationale, quia illic rationale, non nisi confusè attingitur. Confusè autem tunc cognoscitur objectum, quando ex vi illius cognitionis, non potest unum secerni ab alio, quod per eandem cognitionem attingitur. Verbi gratia. Cognosco hominem & equum per connotata communia, hoc est sensationes, tunc cognosco animal confundoq; equum & hominem: quæ confusio in hoc stat, quia ex vi illius cognitionis non valeo hominem ab equo, equum ab homine discernere, ita explicat Oviedo Controversia Logica Tertia punct. 5. Illustratq; tali instantia. Præcisio ex parte actus circa formalitates identificatas realiter, ita se habet, ac se haberet sensus circa alia objecta omnino similia, omnino æqualia, & quidem penetrata, in quibus non discerneret sensus unum ab alio, & eodem modo se haberet ad objecta distinguenda ac si unum tantum videret objectum, licet in re duo distincta realiter attingantur.

Posset & alia acceptio haberi præcisionis formalis & objectivæ, ita ut nomine præcisionis formalis, veniat ipse actus præscindendi, nomine autem præcisionis objectivæ, veniat ipsa, ut ita dicam passio, vi cuius objectum se præscindit patitur, estque in re ipsum objectum, ita jam præcisum.

Ceterum in priori illo sensu agitur quæstio; an dentur præcisiones objectivæ confusanturque dicta in Logicis de actu confuso fabricativo universalis.

Punctum Difficultatis 1.

Deciditur de Difficultate.

DICENDUM est *Dari*. Ita illi etiam, qui negant eas dari in creatis, ut Arriaga Disp. Quarta Logica Sectione Quarta. Ita Schola Thomistica, & Scotistica, & Nostri, contra aliquos ex Nominalibus, & contra aliquos recentiores, inter quos Oviedo Controversia Quarta Metaphys. punct. 8. Sed S. Thomas Opusc. 49. Et II. contra Gentes cap. 52. & Opusculo 43. cap. 6. nostram etiam sententiam innuit.

PROBARI solet I. Argumento ducto ab uno Attributo ad aliud. V. G. Deus per misericordiam parcit, per iustitiam punit. Ergo ista attributa præscindunt inter se.

RESPONDERI posset. Eundem hinc Deum in recto utrobique concipi, quia quando concipitur misericordia, concipitur Deitas prout est principium actuum misericordiarum; quando concipitur Iustitia, concipitur Deitas prout est principium actuum puniendi. Si autem utrobique responderet Deitas, hoc ipso non est jam præcisio objectiva,

PROBARI